IN DOMINICAS ANNI TOTIVS CONSIDERATIONES

R. P. GASPARIS DRVZBICKI,
Societatis JESV.

Meditaturis ad pios affectus Concionaturis, Exhortaturis, ad devotos impetus,

accommodatæ.

Editio secunda.

CALISSII,
Typis Collegii Soc: IESU.
Anno Domini 1684.



Prodigium! vacuus ſimul eſt & plenus
ACERVUS,
Sed facilem faciunt hæc paradoxa fidem.
Scilicet emeritis Honor illum Faſcibus implet,
Prodigus in Patriam quem viduavit Amor.

ILLVSTRISSIMO
DOMINO,
D. STANISLAO
SKARSZEWSKI,

Castellano Woynicen: Samborien: Drohobicen: &c.

CAPITANEO

Domino, Domino,

PATRONO & MECÆNATI

Faventissimo.

Iterum iam sub Gentili Tuo Tecto, Sanctimonia famâ in paucis, ac ad animorum culturam felix calamo, Nobilis Lechici Orbis Asceta, & Polonæ Societatis decus, R. P. GASPAR DRVZBICKI, sanè non vacuus Hospes, comparet; cum uberem religiosarum cogitationum segetem, velut in manipulos sacrarum Meditationum collectam, in natalem Tuum Acervum comportat. Sacrum hunc Annum suum, perenni in Orbem, per eos, quos Ecclesiæ placitis Dominicos dies nuncupamus, revolutio-

ne recursuque, non potuit meliore delectu, quam ad Ætates & sæcula meritam Illustrissimam Domum tuam, Teq́; Magnum illius Columen, & ipsum Cæli favoribus non vacuum dierum, conducere. Qui olim ipsi Numini post ingentes in mundi molitione curas, requietis die erunt, indeq́; Domini dies haberi meruerunt, hi Tibi quoq́; post desudatas magni in publicum promeritis operas, eximia illâ, quâ à Te ad multorum exempla coluntur Pietate, invitati, se se, sacraq́; hæc Magni Asceta otia, præsentant. In quibus tamen minime otiosus agit, unica eorum, Auctorisq́; materies, Generis & Salutis Nostræ Assertor Homo Deus, ac ad cuius mores & indolem Lectorem suum, ac eos maximè format, qui calcat nobili fastu mundo, iuratam illi hostilitatem sub Ducis sui Aquilis professi, ad illius exempla mores suos cultumq́; inter sacra Domicilia Claustraque, religioso conatu exigunt. Quæ iam huiusmodi Familiarum Domus, pietatis & Munificentiæ Tuæ ignara? quam copiosa ex ho

Tuo

Tuo undique per aperta latera patente Horreo non paveris? Iam postquam corpora pavisti, ad manum hic habes commeatum, quem ad Animarum famem gulamque exsatiandam, in avidas cæli mentes spargas. Quidquid inde Orco & Naturæ violenti in Religiosa arena Luctatores, in quotidiano certamine virium traxerint, prodeunti è Penu Tuo Annonæ acceptum referent. Quicquid sacratioribus hisce monitis, & laboratis in sanctioris Spiritus Officina stimulis, in animis hæc ipsa meditaturis impressionis fecerint, id Magno Tuo Nomine præduce fiet. Diu Te hisce Tuis inde solatiis, Diu multorum bono, frequenti obæratorum Tuæ Pietati, ac primum devoti Tibi Collegii Calissiensis voto, exorati Superi servent.

Jllustrissimæ Dominationi Tuæ

Devotissimum
Collegium Calissiense S. J.

FACULTAS
R.P. Provincialis Soc: JESV per Poloniam.

COnſiderationes in Anni to tius Dominicas à P. GASPA RE DRVZBICKI conſcriptas cum Patres ad revidendum depu tati, recognoverint, & in Lucen edi poſse probaverint, Poteſtat Patris noſtri JOANNIS PAVL OLIVA Præpoſiti Generalis So cietatis noſtræ mihi cõceſsâ, con cedo ut Typis mandentur. Cra coviæ 26. Junii 1678.

STANISLAUS BRANICKI

DOMINICA I.
Adventus.

I. *Erunt signa in Sole.* Luc: 21.

Considera, qualia, & inquo Sole signa hodie Do-minus Jesus prædicit tibi futura. Erunt signa Panis & Vini, in Sole Dominici corporis & Sãguinis, in Sacratissimo Eucharistiæ Sacramento; & sub his signis,ad te hodie veniet Sol ille. Vide ergo, ut cum venerit credas, quia ecce prædixit tibi; vide ut cum venerit hora, eorum reminiscaris. Respice & leva caput tuum, quoniam appropinquat redemptio tua, atque jam nunc in

adventum istius præpara te Solis; ita, ut & tu ipse Sol fias, capax signorum cælestium. Scire enim debes, quod etsi omnes eundem Dominum in Eucharistia recipiant. non eadem tamen iste Dominus in omnibus signa operatur; sed alia in Sole, scilicet perfectis & constanter Deo servientibus, alia in Luna, scilicet in iis, qui fervorem perpetuo mutant, & claudicant in utramque partem; alia in Stellis qui scilicet toti sunt alias in defectibus quotidianis, sed communicaturi, modicum tamen luminis, hoc est devotionis & compunctionis semper induunt.

2. Videbunt Filium hominis venientem in nube.

BEati oculi qui te videbunt Domine, & in amicitia tua decorabuntur. Beati qui te videbunt in nub panis & tamen agnoscent te cum po testate magna & majestate venire. Domine, credo; sed adjuva incre dulitatem meam. Veni ad cor me um cum potestate magna, ad ejicie das

das ex me adversarias potestates criminum, mihi regnantes: Veni cum majestate, ut anima mea in tui admirationem & amorem rapta, dicat tibi, vere mirabilis es Domine, & facies tua plena est gratiarum. Tunc ego ô quam beatus ero! si tantum reliquiæ seminis mei fuerint ad videndum claritatem tuam. Adoro te Deus meus nunc in nube Panis velatum venientem; da vivam fidem, quâ te videam, da amorem, quo te videns gaudeam.

3. *Scitote quoniam prope est regnum DEI.*

DIc anima mea omnibus membris tuis, scitote quoniam prope est regnum Dei, prope est in januis: regnum Dei intra vos est. Ubi enim venit, ubi regnat JESUS, ibi sine dubio est regnum DEI. Dilatare Anima mea ut intret in te regnum Christi; & illum roga, ut regni ejus non sit finis.

4. *Erunt signa in Sole.*

COnsidera Dei justitiã. Disceptaturus enim cum peccatoribus, ar-

mat etiam omnes creaturas contra illas, scilicet Solem, Lunam, Stellas, confusionem maris: ponit in illis signa, tanquam vexilla militantia, tanquam ingruentis prælii tesseras; ut scilicet peccatores qui istarum rerũ ministerio & usu sibi ad salutem æternam, & Servitium Creatoris concesso, abusi sunt, contraque Deum istas res militare fecerunt, jam earum nunc ministerio destituti, vicissim puniantur per eadẽ, per quæ peccârunt. Assuesce nunc creaturis uti pro salute tua, ut serviant tibi; ne post, in damnationem serviant Deo.

5. *Erunt signa in Sole.*

COnsidera Dei misericordiam, qui ablaturus ab hominibus miserendi tempus, & justitiæ regnum superinducturus, nihilominùs, non planè obliviscitur misericordiarum suarũ, sed ponit signa justitiæ ingruentis; ut ea videntes homines, agere possit pœnitentiam. Ponit autem signa in rebus clarissimis, & communissimis, & omnibus, & omni tempore patentibus,

tibus, Sole ſcilicet, Luna, Stellis, mari, fluctibus; ne ſcilicet quenquã imminens hora judicii ejus lateat. Pone & tu anima ſigna, in Sole & luna, in intellectu ſcilicet, voluntate, & omni cogitatione tua: ut nunquam obliviſcaris judicii Divini, ſed potiùs quaſi tumentes fluctus aquarum ſuper te, ſeveritatem Dei reformida, agnoſcens quod pondus ejus portare non poſſis, & pete ab illo, ut configat timore ſuo carnes tuas, ut à judiciis ejus timeas.

6. Erunt ſigna in Sole.

COnſidera quanti Deus hominem faciat, perituris enim generationibus, & ſublaturus homines de facie terræ, planctum indicit omnibus creaturis, tanquam mox ſuo Domino carituris. Plangit ergo Sol, quod nõ ſit habiturus quibus luce ſuâ ſerviat, tempora diſtinguat, res producat, opera lumine dirigat & exornet &c. Et tamen homines interitum ſuum non plangunt; imò etiam procurant, & ſponte vadunt in præcipitium.

7. *Arescentibus hominibus præ timore.*

QUis cogitet, quanta illa mala sint futu-ra! quis exprimat? quæ sola sui exspectatione solo sui timore arescere homines facient. Quis mihi det, ô Deus, ut in inferno protegas me, donec pertranseat furor tuus, quo judicabis etiam justitias hominum? Utinam ita memor sim Judiciorum tuorum imminentium, ut arescat in me omnis improbitas, & succus malitiæ atq; concupiscentiæ extinguatur!

8. *His autem fieri incipientibus.*

HOc solatium Sanctorum est, & eorum quos odit nunc & spernit mundus. Etenim toto tremente sæculo, ipsi stabunt in magna constantia; quando risus mundi in fletũ transibit, fletus verò Sanctorum, in risum mutabitur æternum; quando tristabitur mundus, Sancti autem gaudebunt; quia dum mundus gaudebat, illi contristabantur, sed tunc jam non erit, capite demisso incedere, quia jubebuntur capita levare.

Mun-

Mundi in præsenti est symbolum, celso vertice, erecto collo, nutibus oculorum ire; Sanctorum nunc contra est: inclinato & humili terram spectare lumine, & pressum collum jugo Domini deorsum incurvare. Veniet tempus, cum respicient, & illi sursum levabunt capita sua ad redemptionem suam, quàm videbunt appropinquare. Noli ergo nunc ô anima mea conformari huic sæculo, ne etiam conformeris in fine; sed conformare Sanctis Dei in præsenti, ut olim etiam inter Sanctos sors tua sit: sed & consolare te ipsam in iis, quæ tibi ac tuis sodalibus à mundo mala fiunt, hæ infamiæ, hæ detractiones, hi linguarum doli, hæ contumeliæ, ibunt in honorem aliquando, & aliquando habebunt redemptionem.

9. *Scitote quoniam prope est regnum* DEI.

Quis scit quam prope est regnum DEI? Salutaris proculdubio scientia, operatur pœnitentiam: Pænitemini, appropinquavit enim re-

gnum

gnum Dei; excitat fiduciam, auget fervorem, mercede laboris propinquâ, & appropinquante fine: Et unde tanta, non in mundo tantum salutis æternæ incuria, sed etiam in iis, qui Sanctos se esse valde profitentur, tepor & negligentia nisi quia nesciunt prope esse regnum Dei. Adveniat regnum tuum Deus, adveniat in memoriam, in desiderium, in curam, in meritum, & tandem in possessionem. Quis servus Dei non laboret, sciens prope esse regnum Dei, quo & Deus in illis, & illi in Deo, regnabunt; quantò ardentiùs diligimus, tantò sereniùs videbimus.

10. Cælum & terra transibunt.

ATtende verborum Christi infallibilem veritatem, faciliùs est mutari cælum & terram, quàm Christi verbum, & quidni facilius? verbo Domini facti, verbo Domini firmati sunt cæli, potentiùs verbum quàm cæli. Et tamen infelix ego, ita Christi Magistri mei verba audio atque si mihi aniles næniæ sonarent. Quoties,

es, hoc illudve Christi præceptum, consilium, dictum, factumve, recolo, mihi ad instructionem, ad salutem, ad exemplum esse perquam utile, neque tamen quidquam inde fructûs ad animam meam derivatur. Verba Christi, sunt thesaurus in agro absconditus, sunt ager thesaurum ostendens, sunt margarita pretiosa, sed ego rudis negotiator, ac negligens, has opes stultus contemno. Amor & studium vitæ Christi.

DOMINICA II.

Adventus.

Cum audisset in vinculis opera Christi. Matt: 11.

QUis non audivit in vinculis opera Christi? in vinculis charitatis, quæ potenti dexterâ suâ fecit & facit? Magnũ opus Christi in vinculis, qui ad vocem Sacerdotis,

dotis venit in vincula Specierum. Magnum opus, quia panis fit Caro; vinum fit Sanguis; Magnum opus, quia sub tantillis speciebus, totum corpus JESU, totus Sanguis, totus Christus, cum anima, corpore, Divinitate, virtutibus meritisque concluditur, & totus in toto & totus in qualibet parte continetur. Magnū opus Christi in vinculis istis, quia à Sacerdote tenetur, portatur, frangitur, porrigitur. Putas hoc illi fieret, nisi in vinculis esset? O magna Christi opera in vinculis! sed & magna Christi vincula. Vincula utique Adæ, vincula charitatis. Magnum sanè, & nescio an non maximum opus Christi in vinculis, quo ad hominem, ad me miserum venit; & quasi non satis illi esset vincula Specierum intrare, sed & carceres corporum, pectorum, cordium. O cor meum! si scires donum Dei, & nosses hunc vinctum, exornares carcerem tuum, & faceres ex illo paradisum. Tu ô vincte amabilis JESU,

adju-

adjuva infirmitatem meam, & præsta hoc; facque opera tua gloriosa in carcere, hoc est corde meo, quod nunc ingrederis.

2. *Cùm audisset in vinculis.*

ATtende quomodo Deus Sanctos suos in hac vita tractet. Joannes, ille magnus coram Domino; ille Helias in Spiritu & veritate; ille Angelus, ille neque manducans neque bibens, ille quo inter natos mulierum non surrexit major; ille qui primus cælum vim pati docuit; ille Propheta altissimi. Vox Verbi, Spōsus amici, Baptisator Christi, in vinculis est. Itane nimis honorati sunt amici tui Deus, ut post omnes honores ad catenas deveniant? hoc utique non honorari, sed onerari est. Verùm, hæc est Sanctorum nota ex Christi forma desumpta: Bona agere, mala pati; bonum esse, malum reputari. Quid tu vesane, Sanctus esse vis, sine tribulatione? Sed præter doctrinam & exemplum Christi, præter morem Sanctorum, quin & præ-

præter fructum commodumque Sanctificandorum. Non enim expedit Sanctis non pati, etiamsi possent non pati; tum quia forma vitæ Christi id exigit, tum quia in Sanctitate crescere, est in patientia crescere & proficere. Obfirma igitur animum non solum ad non fugiendam, sed potius ad prosequendam, quærendamque patiendi materiam.

3. Cum audisset in vinculis.

JOannes de vinculis quærit quâ potest viâ, adit, audit, videt Christum, opem illius. Id scilicet Sanctorum est, nunquam dicere sufficit mihi, justus sum, nec deficere, nec proficere amplius volo, sed potius, ante vivendi quam proficiendi finem facere; nec ullis retardari difficultatibus, quominùs melior seipso semper fieri contendat. Et Joannes quidem sic; nos autem non sic, sed qualibet cessandi à bono ac proficiendi studio & labore occasione gaudemus, Servi planè non filii, virgâ ac calcaribus indigentes. Propone indefes-

defeſſum emendandæ vitæ Studium.

4. *Tu es qui venturus es?*

SCiebat Joannes Chriſtum eſſe Meſſiam, & tamen quærit an ille ſit? Nō ut ipſe diſceret, ſed ut alios doceret. Vera quippe charitas, ſcit cum ſcientibus, & neſcit cum diſcentibus, fitque omnibus omnia ut omnes Chriſto lucrifaciat. Et ubi ſunt ſunt illi, qui nonniſi in ædibus Chriſtum prædicare, & nonniſi ſapientibus magnatibusque ſapientiam cæli revelare cupiunt, inter puerorum autem, ruſticorumque greges de Chriſto dicere, aut erubeſcunt aut non ſciunt. An verò pro his Chriſtus non eſt mortuus? an iſtis non eſt opus Chriſto? an magis ſapientes quam rudes prædicatione Chriſti opus habent? Zelus Chriſto pauperes lucrificiendi; deſideriumque cum abjectis & pauperibus potius, quam cum magnatibus agendi & converſandi.

5. *Tu es qui venturus es?*

O Quoties gratia Chriſti ex vinculis illis cæleſtibus liberaliſſimi

JESU ad te nuntios suos mittit, quærens ex te Tu es qui venturus es, an alium exspectamus? Vellet ad te Gratia JESU, sed quia in te obicem videt, apud JESUM veluti vincta tenetur. Mittit ad te igitur nuntios, inspirationes, Angeli custodis monita, varios mentis motus. Itane desiisti esse quod eras, homo tui amans, superbus, facilis ad offensam Dei? quousque alium te exspectare Bonitas Divina debet? quousque divitias bonitatis ejus contemnes? cur thesaurisas tibi iram in die iræ, & impœnitens cor? Quare & quousque tenent te vanissimæ istæ mundi carnisque illecebræ? ô quid respondere soles istis nuntiis; quandoquidem eundem te deprehendunt qui fuisti; superbū scilicet ut ante, curiosum ut ante, vagum, tepidum ut ante. Excitare aliquando, & labora, ut possis respondere talibus nuntiis Dei; Quod in Evangelio hodierno scriptum est; Cæci vident, quia nihil scilicet ex se, sed omnis sufficientia illorum ex

Deo.

Deo. Surdi audiunt, Deum potiùs quàm homines, quãve ſeipſos. Claudi illi in utramq; partem claudicantes, jam tandem in plenitudine cordis ad Deum contendunt.

6. Tu es qui venturus es?

CRedisne tibi mortem imminere? credisne te Chriſti judicio tremendoque ejus tribunali ſiſtendum? Quod non credas, argumento eſt præſens iſta tepiditas, atque ſegnities in Servitio Chriſti ejusque vitæ imitatione. Quid autem, an talis ante judicis illius oculos comparere velis, qualis es? Quam vere tibi nunc à Chriſto dici poſſet. Tune es qui venturus es ad judicium meum, & redditurus rationem de omnibus? an verò alium exſpectamus? Ecce tres anni ſunt, & ſterilis arbor ſterilis eſt, ut quid terram occupat, ab aliquo alio fructuoſius occupandam? Igitur qualis ante Chriſtum in hora judicii comparere velis, nunc tecum ſtatue & talis eſſe incipe.

7. Beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me.

Ma-

MAgis optantis quã sperantis vox ista est: licet ejus sit, qui finxit corda hominum. Usque adeò rari sunt qui in Christo non scandalizatur, Et tamen Christus quamvis videret tam multos in se scandalizandos, suâ ipsorum culpâ, non tamen neglexit ideo opera Patris sui cælestis facere. Ita prorsus, nec te decet, propter humanas rationes, à Dei beneplacito recedere; sed potiùs oportet te dicere cum Paulo; Si adhuc hominibus placerem, servus Christi non essem; mihi enim pro minimo est ut à vobis judicer, aut ab humano die; etenim qui me judicat Dominus est, qui solus novit corda hominum, solusque rectè judicat. Contemne respectus humanos.

8. *Beatus qui non fuerit Scandalizatus in me.*

SCandalizatur in Christo, qui erubescit confiteri Christum, qui pudori sibi ducit, cum insignibus Christi Domini sui coram hominibus cõparere, ô quoties scandalum istud in te patimur Domine Jesu: quoties crucis

crucis ignominiam, paupertatem, obedientiam, dolores, labores, humiliationem propter te ſuſtinere erubeſcimus. Et quid eſt hoc aliud, quã ſcandalizari in te, dedecusque putare, tuis inſignibus inſigniri!

9. Quid exiſtis in deſertum videre?

COgita quid in hoc deſertum egreſſus ſis videre, ad quod videndum natus es? Deſertum, mundus eſt; deſertum, quia à Deo eſt deſertum, Deo vacuum omni bonorum cæleſtium affluentia orbum. Exeunt aliqui in hoc deſertum videre, qui revera non videre ſed cæcari egrediuntur. Exeunt enim videre vanitates & nebulas, lutum, voluptates; & hi vident omnino nihil, imò videntes cæci fiunt. Ille verò exit in deſertum videre, qui videt deſertuũ, qui animum ſuum in rebus creatis non conquieſcere agnoſcit, qui ex creaturis aſcendit ad Creatorem, qui cælum intuens, terram ſibi ſordere facit. O utinam ita anima mea exeas in deſertum videre, non arundines ſuper-

superbiæ vento agitatas, non homines voluptuosos & mollibus vestitos, sed prophetam, qui antiquis Videns, dicebatur, præscium, videlicet futurorum, mortis futuræ, judicii Dei, damnationis, præmiique in cælo perennis. Despectus terrenorum omnium.

10. Qui præparabit viam tuam ante te.

QUis erit iste qui præparabit viam tuam ante te hîc in hac vita, & in illo ad aliam incognitam vitam digressu? Planè, nisi is Joannes, Gratia scilicet erit, actum est de te. Sed quis iste est Joannes? excute eum totum quantus est, nomen enim ejus Gratiam Dei sonat, officium ejus est vocem esse clamantis in deserto, Homo enim est sed non vestitus mollibus: Propheta & plusquam Propheta, imò Angelus est. Talem te Joannem habere imò esse oportet, si viam ante te vis præparari. Ama igitur & præ omnibus cura ut Gratia Dei sit in te, ut vacua non sit, ut illam in vanum non accipias; scitoque

toque quod in corpore molli delicatoque, Gratia Dei fervens & efficax moriatur.

II. Ecce qui mollibus vestiuntur, in Domibus Regum sunt.

AUdivi aliquando objectum aliquibus; Ecce isti & isti in domibus Regum sunt, Cur? quia mollibus vestiuntur. Væ nobis, & væ Religiosis. Si ideò eis Regum Procerumque domus patent, quia mollibus vestiuntur, quia mollis & adulatoria est lingua eorum, quia molliter & laxè cōscientias tractant. Equidem verùm est illud; Multi veniunt ad nos ut ditiores fiant, pauci ut meliores. Miserum planè sic egredi Ægyptum, ut ad te Ægyptus recurrat divitiarum, honorum, promotionumque causâ. Utere quisquis es hoc excusationis clypeo; Ecce qui mollibus vestiuntur, in Domibus Regum sunt: Cella mea, secretum meum, paupertas mea, mihi cordi. Quid Religioso & mollitiei? quid profugo à mundo & Domibus Regum? Amor asperitatum,

ritatum, carnisq; afflictionum, & fuga negotiorum sæculi.

DOMINICA III. Adventus.

1. *Tu quis es?* Ioan: 1.

DEus meus mi JESU, quis tu? quis ego? Tu Deus meus & omnia, ego autem Servus tuus & filius ancillæ tuæ, Tu venis ad me, ego autem recipio te & quæro ex Te, Tu quis es? Tuque vicissim ex me, Tu quis es? sed tu respondes mihi voce grandi & magnificâ: Ego sum qui sum; & eccè ad te venio, ut cibus tuus sim. Ego verò quid dicam de me non habeo, quia ex me nihil sum; gratia autem tua sum quod sum. O Domine: pretiosissimum corpus Sanguisque Tuus, det mihi cognoscere hæc duo; Quis videlicet es tu? & quis ego? utq; recipiens & manducans Te, hæc penetrare possim; quærendo ex te, Tu quis es? Et quandocunque Tu veniens ad me, quæres ex me Tu quis es? cognoscam me incom-

comprehensibilibus à Te distare intervallis, Teque esse Omnia, me verò omnium Nihil. Te esse aliquid omnibus nobilius, & excellentius, & pulchrius, & consummatius; me autem esse omnino nihil. Dei magnitudinem in Communione; tuamque parvitatem considera.

2. Medius vestrum stetit:

MEdius omnino nostrum est Dominus JESUS, quoties sese nobis in Sanctissimo Sacramento communicat; medius in ore, medius in corde, medius inter nos omnes, & singulos nos, medius mediator pro nobis. Væ mihi, si hunc medium in me stantem, manentem, nescio, indignè recipio, non digne receptum tracto, indignè cum ipso versor. Aufer à nobis Domine JESU hoc maledictum, ne de nobis dicatur, Medius vestrum stetit, quem vos nescitis: quia væ nostris tam frequentibus communionibus, & Sacrificiis, si quando te DEUM nostrum sumimus, quem sumimus nescimus, aut non perpendimus.

3. *Tu quis es?*

COnſidera quis tu es? quis in natura, quis in gratia; ſeu quis ex te, quis ex Deo? Rurſum. Quis ex Deo ſis, quid egiſſe poteras? quid merearis? Jam quis ſis in corpore & anima, quis in utriusque partibus potentiis, ac paſſionibus? Quis es officio & obligatione? Quis es apud Te? quis apud Deum? quis eſſe teneris, & quis eſſe neglexiſti? quis es, collatus cum aliis majoribus, minoribus, æqualibus? quis es comparatus Deo? Notitia ſui.

4. *Tu quis es?*

IN his verbis omnis latet medicina adverſorum omnium, omniumque paſſionum importunè efferveſcentium. Læſit te aliquis? indignè fers? ultionem cogitas? cogita ſtatim Tu quis es. Prælatus eſt tibi alter tuo judicio minor? Tu quis es? Perge ſic per omnia in hac communi vita, contingentia, & invenies hanc quæſtiunculam, in omnibus medicamento eſſe poſſe.

5. *Tu*

5. Tu quis es?

COnſidera quis ſit Deus in natura ſua? quis in operibus externis? quis ad intra, quis in dignitatè, potentia, pulchritudine, gubernatione, Sapientiâ, providentiâ, miſerationibus, bonitate, amore, & in aliis infinitis attributis; potiſſimùm autem in longitudine æternitatis, latitudinen charitatis, altitudine Sapientiæ, profunditate judiciorum. Item quã ſit admirabilis in Angelis, in hominibus amabilis, in reprobis terribilis &c. Dei Cognitio.

6. Tu quis es?

QUære ex omnibus & ſingulis creaturis, Tu quis es? Ac primum diſces quod ſint ex nihilo, à Deo in uſum & ſervitium hominum factæ, quas tamen inſipientia hominum Dominas proprias conſtituit; fecitque ex adjumento impedimentum. In omnibus ergo creaturis, quæ ſeſe ad uſum, vel ad voluptatem, vel ad neceſſitatem offerent, hanc quæſtionem, Tu quis es! inſtitue, ac ipſe reſpon-

dere debebis. Amicis me ad te ô creatura? sed quis tu es, ut tui causâ à Deo discedam? An sapit, qui à fonte rivuli causâ discedit? An sapit qui à Sole ad radium transit? an sapit qui ramum arbori præfert? Sed ais; Illa creatura, sese mihi opponit, facitque molestiam in via Dei; sed tu, Quis es, ei responde, qui opus Dei impedis & avertis: non es tanti, ut me timor tui, aut laudes tuæ à Divinis obsequiis avertant.

7. *Ego Vox Clamantis.*

TOtus Joannes Vox, totus & Religiosus Vox est. Clama ad Deum Clama pro Deo, ad Deum pro auxilio, pro Deo ad homines, Clama pro peccatoribus contra peccata, clama intentione cordis purâ & rectâ, clama fervore oris, verbisq; cum zelo prudenti igneis. Clama exemplo vita, opere, charitate, Dei gloriæ Salutisque proximi dilectione. O quis iste qui dicere potest Ego Vox Vox motu, aspectu, gustu, incessu linguâ, oculo, manu, pede, veste o-

mni-

omnibus denique moribus & membris, Vox Deum laudans Deum prædicans, arguens peccata, virtutem docens. Sed enim multi hodie ſumus vox oris, voce externa Speciei, ſed pauci ſumus Vox cordis, pauci Vox operis, pauci Vox arcti exempli, moriſque compoſiti. Et tamen certum eſt Fruſtra clamatur ore, ſi non clamatur opere; & hinc tam modicus noſtrarũ Concionum, noſtrarum converſationum fructus.

8. *Ego Vox clamantũ*

OMnis creatura quanta quanta eſt, vox eſt, Clamat, ipſe fecit nos, & non ipſi nos. Clamat deficio, clamat non Satio, clamat maculo, clamat onero, ſed homines ſurdi ſunt, aures habent & non audiunt, vel potius oppoſita audiunt.

9. *Ego Vox clamantis in deſerto, dirigite viam Domini.*

QUi clamat in deſerto hujus mundi Deus eſt. Non vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri; vox autem clamantis, & quaſi echo

resonans, seu, qui vocem intus audiunt foris reddunt, sunt Concionatores; sed quid istæ voces sonant certè non debent aliud quidquam sonare præter istud: Dirigite viam Domini: Non seipsum debet concionator prędicare, non quæ sua sunt quærere, non aliud creatum ambire, sed directionem viæ Domini. In hoc solo præcipuè officium eorum situm est ut dirigant viam Domini. Alii Doctores, alii magistri, alias vias dirigant; docent enim vel malas, vel humanas tantùm artes; vel si altiores paulo, indifferentes tamen in usu Concionator non sic. Dirigunt alii viam Superbiæ, alii ambitionis, alii arrogantiæ, alii avaritiæ, fraudũ, hæreseos, pseudopolitiæ &c. Concionator viam Domini debet dirigere hoc sonare, hoc clamare, hoc inculcare, & ita, ut præter hoc nihil aliud clamet; nec cessare debet; non enim Deus clamare cessat. Videat itaque ut semper Vox clamantis sit, & dignè sit. Non decet Deum vox tur-
pis

pis & abſona, non quadrat Verbo humilitatis, Vox ſuperbiæ, non decent ſtultum verba compoſita ex ſermone verboq; ovino, voce & ululatu lupino; abſona vox eſt, quæ aliud dicit, aliud facit, dicit benè, vivit malè; ore bona, corde mala, opere pejora clamat. Uniformis, proportionata, tractabilis, flexibilisque vox eſſe debet Dei. Clara, quæ verum dicere non reformidat; ſonora, viva non placentia tantùm ſed utilia loquens. Animata Spiritu, non externo eloquentiæ fuco; talem enim Dei vocem eſſe decet. Si concionatori vox eſt, & non talis, non Dei vox eſt, ſed diaboli, mundi, hominis Superbi, ex eoq; apparebit, quia non appetunt deſertum ſed frequentiam.

10. *Ego vox clamantis in deſerto.*

CONcionatoris officium, dignitatem, finem, conſidera, & diſce hîc maxime, quod ſit & eſſe debeat, non vox ſimplex, ſed Echo; ut nempe prius à Deo audita dicat, ut priùs ipſe impleatur antequam effundat, ut ſit vas,

non canalis: ut ex abundantia cordis loquatur os ejus, ut videlicet sit repercussio operis, & vitæ imago oratio ejus; ut sciat, inter convalles repercuti vocem, in patenti verò ac plano loco Echo non audiri, quia humilium scilicet verba efficacia sunt & valida, voces verò superbiæ, & oratio in oculis hominum facta, laudesque & plausus eorum captans, enervis & infructuosa, concidit, rapiturq; à vento.

11. *Ego vox clamantis in deserto.*

VIde quanta vallis sit Joannes; Pro Messia à Principibus agnoscitur. At ille quid? ingenuè negat. Messias es tu? non, Propheta? non, Vides ut resonat, quam probe sonum reddit. Quid igitur dicis de te ipso? Vox ego sum clamantis; non ipse clamans, non ipse clamor, sed vox tantum clamantis. Echo sum tantum. Non ego sum qui clamo, non ego sum qui loquor, verba mea non sunt mea, non ego mihi tantùm sumo, vox saltem sum ego. Minimum est in sermone

ne humano Vox; à corde, à mente omnia procedunt; hoc ſentio, (ait Joannes) de me. Hoc omnes Concionatores qui viã Domini dirigunt, ſentire debent. Ita Joannes ſe ſubjecit, ut corrigiâ calceamenti Chriſti inferiorem indigrioremque ſe dixerit. Tu quoque Concionator fac ſimiliter.

DOMINICA IV.
Adventus.

1. Parate viam Domini. Luc: 4.

DOminus veniet ſaliens in montibus, tranſiliens colles. Feſtinat equidem, amore & bonitate impellente, ſed quia montes & colles curſum præpediunt, ſalire & frequenter tranſilire cogitur. ô ingratitudo cordis mei! agnoſcit, enim majeſtatis Dominum feſtinare ad ſe, at tamen viam ejus complanare negligit. O cæcitas nefanda, quæ ſic montes & colles tuos amas, ut Chriſto eos malis objicere, quàm propter ipſum dejicere! Ecquid tandem proderit tibi

ſuperbia tua, faſtus tuus, vaniſſimæ tuæ reputationes? ſi Chriſtus te tranſierit, & ad te venire non poterit? Depone anima mea Superbiam tuam, & omnem cordis tui ſublimitatem, eamque quantum potes deprime. Dominus enim JESUS humilia reſpicit, & demiſſa intrat domicilia, alta autem & ſuperba corda tranſilit, eaque à longè declinat. Cùm enim mõtes ſint alti, videri facilè poſſunt, ſed non adiri, præſertim ab his, qui oneribus aut muneribus onuſti aliquo feſtinant, planam enim iſti & rectam nec aſperam amant viam. Si itaque Dominum vis ad te venire, tecumque manere, para illi viam; omnem montem & collem in te humilia, omnibus, etiam viliſſimis creaturis te ſubjice collocans te infra ſingulos. Omnem autem vallem defectuum, & imperfectionum quotidianarum, imple novo fervore, charitate, & diligentia, hanc enim viam JESUS intrat libenter, quia recta eſt & plana. Ipſe à muneribus gratiis, meritiſque ince-
dit

dit onuſtiſſimus, quæ vult apud te deponere, ſi modo in via impedimentum non poſueris. Præparatio.

2. Factum eſt Verbum Domini in deſerto.

COnſidera quam felix, ac quam utilis Deoq; grata, ſit piæ mentis Solitudo, ſuiq; ab humana converſatione ſubtractio & liberatio. Non enim poteſt Spiritus S. loqui ad cor hominis vagi ac diſtracti ac per humana, mundanaq; diſperſi. Secretò Spiritus loquitur, in Secreto manet, & nonniſi à ſecreto & in ſecreto ſentitur. Vis verbum Dei ad te fieri? in deſerto mane; non quidem corpore ſed magis mente; intus tecum mane; Quin & corpore Solus eſſe ama, quamdiu per charitatem aut obedientiam licet. Liquor pretioſus non bene clauſus, amittit odorem: & fervens Spiritus, rarò cubiculo incluſus, deperdit ardorem. Ama igitur Solitudinē & loquar tibi ad cor, ut cor audiat, quid cor volet, quæ cordi ſapiunt, quæ cordi vitam dabunt, loquar efficaciter, loquarq; ita,

ſicut

ſicut cor cordi loqui poteſt. Ego e-nim ſpirans cor ſum Sanctiſſimæ Trinitatis, & in cordibus hominum habito.

3. Parate viam Domini.

OMnium hoc mortalium munus eſt parare viam Domini, ſed aliqui ſunt qui tantum in ſeipſis eam parare tenentur, aliqui etiam qui in aliis. Tu vide quorum ſis de numero. Rurſus, multæ ſunt & multiplices viæ Domini, Latiores aliæ, aliæ ſtrictiores, quæ ſemitæ nuncupantur: magis quidem compendioſiores, minùs verò notæ. Non enim omnes capiunt verbum illud, Beati Pauperes, Diligite inimicos &c. Alii ſunt Eunuchi &c. Qui vos audit &c. Addo quod iisdẽ viis homines ad Deum quibus Deus ad hominès venit. Nec quâlibet viâ ad hominem venit, nec qualibet venientem rècipit. Multùm igitur conſiderandum eſt, quæ ſint viæ quibus incedas, & ad Dominum vadas, quãque Deo ad te venturo facias. Eſt quippe via quæ videtur homini recta,

cta, sed novissima ejus ducunt ad interitum. Præterea, Viæ Domini, aliæ sunt in ipso, ad ipsum, & hæ investigabiles, aliæ in Creatione admirabiles; aliæ in Redemptione, hæ imitabiles; aliæ in justificatione, hæ amabiles; aliæ in glorificatione, & hæ admirabiles, desiderabiles; aliæ in judicatione, & hæ formidabiles. Insuper parant alii viam Domini ad homines, alii viam Domini ab hominibus, alii pro hominibus, alii contra homines. Ab hominibus & contra homines parant viam Domini, peccata hominum & Scandala. Ad homines & pro hominibus parat viam Deo, patientia & zelus animarum. Denique, Viæ Domini quædam sunt quæ videntur difficiles, cum sint faciles valde; videntur obliquæ, & sunt rectæ; videntur asperæ & sunt molles; videntur tenebricosæ & sunt lucidæ; videntur longæ, & sunt cõpendiosæ.

4. Parate viam Domini.

Usque modò Deus ad nos iter instituit, & ex nunc præparatio ejus adven-

adventûs, dicitque, Vado & venio ad vos, quaque horâ non putatis filius hominis veniet. Quid igitur agendum? hoc; si veniet Christus, jam non ad salvandum sed ad damnandum; non ipse judicandus, sed te judicaturus veniet, non humilis, sed in gloria & majestate magna; huic ejus adventui cōpetenter viæ parandæ. Venturus est Christus ad judicandum te? judica teipsum; venturus ad humiliandum? humilia te ipsum, venturus ad confundendum & arguendum? confunde & argue tu teipsum. Si enim teipsum judicaveris, utique non â Domino judicaberis: Deus enim non percutit bis in idipsum. Nescit Ira Dei sævire in eum qui sibi ipsi non parcit; nescit eum deprimere qui seipsum humiliat; nescit eum accusare, qui se arguit. Itaque quod tibi, tunc á Deo fieri nō vis, hoc tibi ipse nunc facito.

5. *Omnis vallis implebitur.*

QUo implebitur? bonis: Esurientes implevit bonis. Unde Moysi esuri-

ſurienti videre faciem Dei, Ego, inquit, oſtendam tibi omne bonum. Et Chriſtus, Beati qui eſuriunt, ait, & ſitiunt juſtitiam, quia ipſi ſaturabuntur: quod & David Dei nomine ſpondet; Replebitur, dicens, in bonis deſiderium tuum. Eſt enim fames iſta vallis profunda, quantoque fames major, tantò vallis profundior; & quantò vallis profundior, tantò capacior. Vis impleri? eſuri; vis impleri multum? eſuri multum. Multùm eſurit, cujus anima renuit conſolari, dum dicitur illi quotidie, Ubi eſt Deus tuus? multum eſurit, qui ſolum Deum, ſolam juſtitiam, ſolam perfectionem eſurit. O Beata fames, noli illam implere anima mea delectationibus ſæculi, ſi vis impleri bonis &c. Fames & Deſiderium amplius proficiendi, vide Aug: in Pſ: 41. & Pſal: 64.

6. Omnis vallis implebitur.

COr humile, vallis eſt. Si itaque cor tuum humile eſt, à Deo implebitur. Corda Deus implet non

ora;

ora ; aut certè priùs corda quàm ora. Sis igitur humilis corde,ut implearis Deo. Non ſolum autem capax, ſed & pretioſum Deus eſſe vult vas illud, quod ſeipſo debet implere: Cordis verò pretium èſt Caritas, ejusdem capacitas, eſt Humilitas. Amator Dei humilis, ipſe eſt capax, profunda, & implenda vallis; Humilis fuit Beatiſſima Virgo, & reſpexit Deus humilitatem ancillæ ſuæ, fecit eam gratiâ plenam: Spiritus S. ſupervenit in eam, qui ſuper humiles requieſcit, replevitq; Virginis, non ſolum mentem, ſed etiam Ventrem, Verbo illo, unico quidem, ſed quod ſignificat omnia, in quo omnia, per quem omnia, & ſine quo factum eſt nihil. Vide quomodo impleta ſit vallis iſta, ita quidem ut de ejus plenitudine nos omnes acceperimus. O Humilitas, quæ ſola Deo impleris, Deum capis, Deum concipis & paris! ut non ſolum ipſa abundes, ſed & alios etiam abundare facias, generesque Deo filios Dei. Hoc habet privi-

privilegium Humilitas : amas illud? ama Humilitatem.

7. Omnis collis humiliabitur.

QUid mirum si colles humiliantur, cum ipse mons Dei, Deus ipse, ipse Altissimi filius humilietur. Hoc potius mirum, quod Deo sic humiliato, tamen homini veniat pes superbiæ? vere diaboli superbiam esse oportet, in eo qui in tanto humiliationis Divinæ exemplo superbus manet. Ideò namque cecidit diabolus, quia Verbum incarnandum audiens, humiliari coram ipso renuit. Quid igitur homo, nisi diaboli superbiam habeat? qui Verbum videat Incarnatum & humiliatum, humiliari tamen vel coram ipso, cum ipso renuit. Rectè sane nascente Christo omnis collis humiliabitur, vel sponte, Christi exemplo, vel coactè diaboli supplicio. Tu elige utrum velis.

8. Erunt prava indirecta.

COnsidera Christum ad hoc natum, ut ea quæ ante Sapientibus stulta videbantur, ostenderet esse Sapien-

tiæ mysteria; quæ fortibus videbantur infirma, robustiora fierent hominibus; quæ superbis erant contempta, ea fierent amicis Dei honorifica. Ita Paupertas honorabilis, Castitas amabilis, Obedièntia gloriosa, Persecutio dulcis, Amor hostium facilis factus ést. Considera ad hoc natum Christum, ut viam cœli difficilem, facilem faceret, sublatis cæremoniis, collatâ gratiâ, dato exemplo fuso sanguine, spe præmii certi, nec differendi positâ. Cum itaque jam & prava directa, & aspera sint complanata, quàm excusationem homo prætendere potes, quominus per viam salutis & perfectionis incedas, totumque te Sanctitati, & Cruci Christi ferendæ devoveas?

9. *Erunt prava in directa.*

POstquam Christus venerit ad judicium, hæc omnia consummabuntur. Vallis omnis implebitur, Collis humiliabitur, Prava erunt in directa, & aspera evadent in vias planas. Multi enim nunc sunt, qui ita habent protun-

fundum avaritiæ ſinum, ut nullis eum opibus poſſint implere. Ita multi laudum honorum dignitatumque ſub limitatem appetunt, ut illis impoſſibile ſit vel uni cedere, vel ab uno puncto gloriæ recedere. Ita quibusdam ſtulta videtur & prava perfectionis Evãgelicæ Via, ut malint juxta leges Sapientiæ mundanæ vivere quam magiſterium exemplumque Sapientiæ Increatæ & Incarnatæ ſequi. Ita denique pleriſq; Via Domini, & Via Spiritus videtur difficilis, ut æſtiment Vitam Sanctorum eſſe inſaniam & finem eorum ſine honore, putentq; impoſſibile eſſe, carere mundi carnisque voluptatibus & delectationibus. Sed hi omnes has univerſas ſuas fabulas, manias & inſanias, in die mortis aut judicii extremi condemnabunt: videbunt quoq; & fatebuntur, facillimum ſibi, ſi voluiſſent fuiſſe, & vallem cupiditatis impleri & collem ſuperbiæ humiliari, viasque Domini non pravas ſed directas, atque ad beatitudinem recta

ten-

tendentes; nec Vias Sanctorum asperas sed planas; valde se verò erraſſe à via veritatis, laſſatos eſſe in via iniquitatis, & ambulaſſe vias difficiles. Tu igitur ſi ſapis, nunc ultro pravum tuum, ſi quod habes, de rebus judicium corrige, ne aliquando illud fruſtra & ſerò cogaris corrigere.

DOMINICA
Infra Octavam Nativitatis.

1. *Erant mirantes ſuper his. Luc: 2.*

BEatiſſima Virgo & Joſeph mirabantur ea quæ de Puero Jesu dicebantur. Non miraberis & tu, quæ ab eodem Iesu Domino & Deo tuo in te, & tibi fiunt? Miraris Infantem faſciis involutum, in ulnis maternis jacentem, ubera ſugentem, & non miraris eundem jam glorioſum, faſciis tamen ſpecierum tectum, in corde tuo miſerè commorantem; te uberibus pietatis & gratiâ ſuâ lactare. O ubi eſtis Stupores! cur non omnes eſtis ſuper his mirantes?

2. *Ecce*

2. Ecce hic positus est in ruinam.

SUmunt boni sumunt mali, sorte tamen inæquali, vitæ vel interitûs. Vide igitur quam dispar sit paris hujus sumptionis exitus? & excute aliquando, inveteratam illam tuam in sumendo Sacrosancto Christi corpore tepiditatem. Et si te tanta non cõmovet majestas, tam anceps, saltem periculum commoveat. Ruina est Cibus iste, si indignè sumatur; Refectio est, si puro & humili corde manducetur. Quoties igitur Corpus Christi, vel tractas, vel conficis, vel sumis, toties dici tibi puta; Ecce hic Cibus positus ante te, vel in ruinam vel in refectionem tibi. Cogita utrum ex ejus usu fructum reportare velis. Nonne anima mea cõtremiscent omnia ossa mea ad denuntiationem hanc tam perplexam, tam ancipitem? Væ tibi, si hic cibus fiat in ruinam tibi vel semel. Quem interficit medicamentum, quid sanabit illum? Digna Communio.

3. Erant Pater & Mater ejus mirantes.

Disce

DIsce à Sanctissima Virgine & Jo-sepho mirari ea, quæ vel de Chri-sto narrantur, vel à Christo fiunt. E turbæ quidem imò Doctores stupe-bant in doctrina & responsis eju mirabanturque in sermone & verbi gratiæ, quæ procedebant de ore eju: Et quidni miranda diceret verb Verbum Incarnatum? quidni mir de eo prædicarentur? Generatio nem enim ejus quis enarrabit? & quis tentabit, talia tantaq; enarrar opera gestaq; ipsius? Utinam tame sciamus mirari verba quæ dicuntu de Jesu & ab Jesu, & ita qui dem, ut exemplo Sanctissimæ Vir ginis, conservemus omnia, confe rentes & meditantes ea in Corde no stro. Quæ enim potior occupatio ve solatium majus? unde doctrina cer tior, quam ex ruminatione Divino rum eloquiorum? Meditatio Scri pturarum.

4. Ecce hic positus est in ruinam.

CHristus Dominus licet Salvator o-mnium esset & Speculum omni

inno-

Innocentiæ, ea tamen in mundum cōditione venit ut paratus esset tam bene dicentes sibi, quam contradicentes sustinere: ut & tu discas, hac tibi conditione, Christi insistendum esse vestigiis, ut & per ignominiam & bonam famam per approbationes & detractiones multorum, eum sequaris; sciasque & abundare & pati penuriam, adeò ut quantum quidem in te sit, omnibus sit vita tua in resurrectionem, doctrinam, & salutem: attamen si fortè alicui absque culpa tua fuerit, in ruinam; non tamen ideò, à Christi imitatione recedas, cum habeas contradictionis in ipso exemplar; si enim ipsum persecuti sunt, utique nec tibi parcent: quis enim major meliorq; Deo tuo est?

5. *Ecce hic positus est in ruinam.*

RE cogita è quorum sis hominum numero? eorumné, quibus Christus in ruinam, an quibus est in resurrectionem? Utique Beatus, ait Christus, qui non fuerit in me scandalisa-

tus. Et rursum; Lapidem quem r probaverunt ædificantes, hic fact est in caput anguli: qui super eu ceciderit collidetur, super quem a tem ceciderit ipse, confringet eur Exemplo est lapillus ille Danielis, v de itaq; inter quos sis; Illis Christ est in ruinam, quibus vivendi ma tia & tepiditas, inconstantiaque Divino servitio est usitata. Odit nim Deus duabus viis incedente simulque Dei arcam cum Dagon st tuentem. In Salutem iis est Chr stus, qui puro corde & perfecto j giter Deo placere, Christoque per mnia assimilari contendunt. Tal esto si Christum in resurrectionem t bi esse cupis.

6. Tuam ipsius animam.

JAm tunc ab ista Simeonis præd ctione, in Corde Matris gladius st tit dolorum, audiens siquidem filiu suum in signum cui contradiceretu positum, haud dubie & se sine co tradictione non futuram videbat, contradictiones Filii tanquam su

futu-

futuras, imò tanquam præſentes ſentiebat. Toto igitur tempore Beatiſſima Virgo, quo Chriſtus vixit, gladium in corde portavit. O ſi verus hujus Matris filius aut ſervus fores, nonne compatereris frequenter Matri, gladium illum tam diu & tam acerbe in corde portanti! Ad hoc ſane geſtavit eũ, ut revelentur ex cordibus multorum cogitationes. Conſtitue in ſingulos dies, ſicut de Chriſti Paſſione, ita & de doloribus Matris aliquid meditando delibare ut ſic e verum hujus Matris ac Dominæ iæ filium ſervumque demonſtres.

7. *Et in ſignum cui contradicetur.*

TOtus Chriſtus ſignum eſt quod & contradicat omnibus, & cui contradicant omnes. Primum fatentur pii: Contrarius eſt, ajunt operis noſtris, abſtinet ſe à viis noſtris, terũ Simeon hic Sanctus denunti- Percurre itaque vitam Chriſti am, omnia verba, omnes mores, iones, doctrinam & illi mundana nia compara, videbis quam ſint

 con-

contradictoria inter se. Est proin Christus signum, cui mundus contradicit; & mundus signum est, cui contradicit Christus. Tuum est, alteri tri assistere parti, cumque Christo esse Signum cui contradicat mundus, vel cum mundo, cui contradicat Christus: qui enim, ait ille, non est mecum, contra me est.

8. *Quæ non discedebat de templo.*

SUrgunt indocti & rapiunt cælum, surgunt imbelles fœminæ, & vim inferunt ostiis æternis. Ecce hæc mulier Hebræa, confusionem facit tibi Christiano, tibi Religioso: hæc enim ad annos 84. non discedebat de templo, jejuniis & obsecrationibus instabat die ac nocte, & quantum distat à teporibus tuis? quantò magis conveniret vitæ tuæ rationibus?

9. *Puer autem crescebat*

ATtende an in te formatus sit Iesus, an natus? an crescat? an confortetur? quam enim sæpè nascitur in corde tuo Iesus per melioris vitæ p

po

oſita, atque principia, quæ tamen uia non diu durant, ſed citò flacceſcunt & extinguuntur, Chriſtus non reſcit nec confortatur, verùm inſtar ſeminis illius, quod cecidit vel ſecus viam, vel ſuper petram, vel inter ſpinas, excreſcere non poteſt; uia ab humanis cogitationibus, conculcatur, opprimitur, nec creſcit, tque cibus avibus cæli, hoc eſt irriſio Dæmonum, quia hic homo cæpit ædificare, & non potuit consũmare; aruit in illo bonum ſemen, quod uit enatum, quia caruit perſeverantiæ humore, & ab æſtu ſenſualitatis egligentiæque, incrementum vigoremque ſumere non potuit.

DOMINICA I.
Poſt Epiphaniam.

1. *Quid feciſti nobis ſic?* Luc: 2.

QUam merito quilibet communicans Sanctiſſimo Sacramento, poteſt ad Iesum hæc verba uſurpare, Quid feciſti nobis ſic? Obſtupeſcunt nim Angelicæ mentes ad tantam

Christi dignationem ac amorem, vi-
dentes Dominum suum, in quem illi
prospicere desiderant, tam frequen-
ter, tam amanter, tam liberaliter, vi
adeò, ingratæ, ac pauperi creaturæ,
homini videlicet sese communicare.
O Anima mea! intuere saltem altar
illud, in eoque Christum commoran-
tem, adventum tuum præstolantem,
ac Cœnam illam magnam & admira-
bilem propter te instituentem. No-
ne meritò obstupefacta dices illi,
Quid fecisti nobis sic? video Divi-
nitatem, video corpus, video Ani-
mam, Sanguinem, merita, virtute
majestatem, gloriamque Dei, ac Re-
demptoris mei Iesu Christi mihi a
sumendum, participandum, posside-
dum esse propositam ab ipso Amo
meo Iesu, & nonne illi merito dica
ô Amor mi Iesu, quid fecisti nob
sic? Quis ego sum? & Quis Tu ô I
su? & quid fecisti tu mihi, & qu
modo fecisti? Sic, ô verè, sic Domi-
ne fecisti, sicuti scilicet tu solus
cere & potuisti, & voluisti: qu
nimi

nimirum nullus intellectus apprehendere, nullaque verba humana exprimere, quemadmodum factum est à te, possunt. ô Anima! à te ipsa desce præ admiratione eorum quæ tibi hodie Iesus tuus facit sic. O si intelligeres quid fecerit tibi Dominus tuus sic? quomodo fecerit? & quare fecerit?

2. Cum factus esset annorum 12.

MAturè Christus Dominus se à maternis consanguineorumque Domibus ac curis segregat, jamque prædicat exemplo, quod postmodum prædicaturus est Verbo: Si quis diligit matrem &c. plus quam me, non est me dignus. Tu vide quomodo affectum ad Sanguine junctos exueris, maximè verò erga, tuam ipsius carnem, sensualitatem, judicium proprium & voluntatem.

3. Cum esset annorum 12. remansit Puer IESUS.

SIngula verba perpende, quia ideo Spiritus S. per Evangelistam minutim ea exprimi voluit, ut tantò nobis

efficaciùs eſſet Chriſti exempl. An-
norum adhuc 12. Iesus, deſcendit in
templum, & puer duntaxat, reman-
ſit ibidem, negotiis ſolummodo Pa-
tris ſui cæleſtis intentus, Sanctæ
vero V. Matris oblitus; dolorum e-
tiam ei ob ſuam remanſionem immi-
nentium gnarus. Erubeſce tu, quòd
in tanta licèt ætate, necdum tamen
ſincere ex integro Deo ſervire cœpi-
ſti: admove manum cùm Davide di-
cente, Nunc cœpi, & fac ſimiliter.

a. Et cognoverunt Parentes ejus.

NEmpe frequenter ſe nobis Iesu
occultat, tentatq; nos Deus no-
ſter, num ſincero eum corde diliga-
mus, num tempore tantùm conſola-
tionis credamus, tempore autem ten-
tationis recedamus: Socii menſæ
ſed non Socii dolorum. Item quia tu
frequenter recedis, ab Hieruſalem
deſcendis in Hiericho, ideò etiam
frequenter perdis Iesum, incidis in
latrones, qui & deſpoliant te, & pla-
gas tibi imponunt, vis autem reci-
pere Iesum, fruſtra illum inter cog-

to

tos & notos requiris, frustra in comitatu externarum occupationum, sensualium delectationum, aut corporalium phantasmatũ quæris, in Hierusalem te redire oportet, ibi videbitur Deus in templo Sancto suo, videbitur Deus in Sion: Exemplum habes in Matre Virgine, quæ sic fecit, & filium recepit.

5. Et factum est post triduum.

COgita quid hoc triduo Christus egerit? Ubi & quomodo vixerit, manserit, hospitatus est, pernoctavit? & invenies, multùm te adhuc delicatum ejus esse imitatorem. Statue aliquid simile hodie cum illo & pro illo sustinere.

6. Et factum est post triduum.

CHristus amissus nonnisi per triduum requisitus inveniri potest Dolore videlicet, Emendatione, Constantiâ, vel, Humilitate, Desiderio, Patientiâ. Amittitur enim Christus, tum per peccatum, tum sine peccato, prius, itaq; triduum priorum est, posterius posteriorum. Amittitur a-

liquando Christus, quia quæri vult, quia docere vult, se amitti posse, quia custodiri, detineri, vim sibi fieri amat. Amittitur, ut humiliet per absentiam, quē fortè extulit per præsentiam. Amittitur, ut pellat securitatem negligentiæ, manente amissionis periculo, ex quo postea solicitudo profluit. Amittitur, ut ex desiderio ac sequenti dolore, tædioque amorem vel procreet, vel stimulet. Amittitur, ut homo seipsum cognoscat, quis videlicet sim cum Iesu quis sine Iesu. Amittitur denique Iesus, quando ita tenetur, ut amor ejus in proximos non derivetur, non vult enim ita haberi Iesus, ut privatim uni tantùm sit & prosit, sed ut etiam cōmunicetur. Itaque respondet; An nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? quoniam opera quæ Patèr facit, filius similiter facit. Et quia Pater meus usque modò operatur, ideò & ego operor. Sæpè etiam Iesus à piis abit, cum soli sunt, at si conversantur
cum

cum proximis incipiunt, interque eos Iesum requirunt, fit ut ipsi Iesum inveniant, & alios ad eum adducant, juxta illud: Si quis audit, dicat veni; & illud; Adjuro vos filiæ Hierusalem, si inveneritis dilectum meum &c. qualis dilectus tuus? &c. est enim communicabile bonum Iesus, Oleum effusum nomen ejus. Et ne fortè blandiaris tibi, de quali animarum zelo, neve contentus sis, unum aut alterum proximum Deo reddidisse & in uno, alterove Iesum generasse, adverte quod etiam à Parentibus amitti possit; quia non solum steriles Christus deserit, sed etiam minus fæcundos.

7. *An nesciebatis quia in his quæ Patris &c.?*

Disce, ubi? & in quo? inveniendus sit Iesus, non alibi quam in his quæ Patris cælestis sunt, quidquid non Deo, nec propter Deum agis, ibi Iesum non invenies. Et quam multa sunt opera tua hujusmodi, ex quibus nullus Deo honor, nullum proximo auxilium, nullum tibi meritum pro-

fluit, in quo sola tua supina tibi nocet negligentia.

8. Erat subditus illis.

QUis? quibus? Deus hominibus. Attamen erat Subditus illis. Disce terra subdi, disce vilitas humiliari; ne ista subjectio Christi, tua sit aliquando, qui obedientiam vovisti damnatio! Quam enim, improbe, dabis tuæ inobedientiæ excusationem, hoc unico contra te Christi stante exemplo.

9. Et descendit cum eis, & venit Nazareth.

AB Hierusalem Christus in Nazareth descendit, ut sit subditus parentibus: ut satisfaciat obedientiæ, relinquit Hierosolymitanum templũ, & Doctores, & miratores suos &c. Hoc quid est aliud, quam ut exemplum perfectæ obedientiæ relinquat tibi; ut nempe omnia propter unicam obedientiam deseras, contemplationem, & extases, & Deum propter Deum, & quælibet honorifica; & sis subditus illis, quos tibi præposuit Deus.

10. *Et IESUS proficiebat.*

JESUSne proficiebat? ita omnino, proficiebat, non ſibi ſed nobis. Proficiebat, ut nos proficeremus, ut nobis nunquam de profectione blandiremur. Si non proficis, Jesus autem profecit, quomodo illi ſimilis eris? quomodo ſicut ille perfectus eris? Utique qui non creſcit, reſpectu ejus, qui creſcit, decreſcit, & qui inferius manet, reſpectu ejus qui ſurſum aſcendit, deſcendit; & qui ſtat, reſpectu ejus qui pergit, quodammodo retrocedit; Stans equidem euntem nunquam aſſequitur, quantò minùs feſtinantem, & tanquam Gigantē ad currendam viam exultantem. Proficiebat Jesus, tu itaque perfectum te eſſe, nunquam tibi perſuade.

DOMINICA II.
Poſt Epiphaniam.

1. *Nuptiæ factæ ſunt.* Joan: 2.

O Verè nuptiæ! in quibus ſponſus obnubit ſe velo ſpecierum, & ad ſponſam, id eſt, ad animam venit;

venit; In his nuptiis Jesus eſt convivator & Neoſponſus. Anima autẽ Sponſa eſt, & ad convivium accedit Sponſoque ſuo paſcitur. Venerunt Nuptiæ Agni, & non ſolùm uxor ejus, ſed & ipſe Sponſus præparavit ſe, adduxit ſecum Matrem, adduxit diſcipulos, venit in Cana Galileæ, zelo & pietate ductus, migrat de cælo in terram. O quis dignè conſideret nuptias iſtas inter Chriſtum & animam, in Sanctiſſimo Sacramento inſtitutas! verè zelus hic eſt, & æmulatio, quâ Chriſtus animam zelat & æmulatur. Ut enim anima per cibum corporalem corpus ſuum quod animat, nutrit, vegetat, & impinguat ita quoque cibo ſpirituali, id eſt ſeipſo Chriſtus eam nutrit, vegetat, & impinguat, facitque plenam & opulentam divitiis ſpiritualibus. O ſ & tu anima mea deguſtares nuptia iſtas! Et quantum quidem eſt e parte Chriſti, planè nihil deſidera tur, dum modò tu tibi ipſi non deſi Zela itaque amorẽ Sponſi tui, æmula

re eum,

re eum, migra ab omnibus quæ terram sapiunt, migra de tepore ad fervorem, de vitiis quotidianis ad jugem cordis puritatem, ſerviasque Christo volubiliter & promptè, idque tamdiu, donec transmigrationis tempus veniat, id eſt, donec depoſito carnis tabernaculo, intres ad cæleſtes illas, æternasque Sponſi tui & Agni nuptias.

2. Et erat Mater IESU ibi.

O Beatæ nuptiæ! in quibus Mater Jesu adeſt, non enim timendus eſt ibi vini defectus. Quid namque deſit Gratiæ, ubi ipſa eſt Mater Miſericordiæ? Non hæc eſt Mariæ natura. O Anima mea Jesum quoties in nuptiis tuis habere cogitas, Mariam invita, quæ te Filio ſuo reconciliet, cõmendet, repræſentet, ipſumque ad te Filium adducat; Neſcit enim Jesus ſine Maria, neſcit filius venire ſine Matre, ſed & neſcit abeſſe, Matrem ubi novit adeſſe. Cura itaque ut dicatur de anima tua, Et erat Mater Jesu ibi. O quantas opes, ô quantum

tum habet præsidium, MARIAM qui habet! quis infernus terreat istum, apud quem resideat Maria? Age anima mea! MARIAM tibi fac propitiam, fac familiarem, in omnem quidem vitam, sed præcipuè mortis in hora.

3. *Deficiente vino dicit Mater ejus ad eum, vinum non habent.*

AGnosce quam utilis sit MARIÆ ubique præsentia, quid egissent Neonupti deficiente vino, nisi occurrisset MARIA, vel nisi adfuisset necessitatemque prævenisset, ac rubori sponsorum occurrisset? Rursum vide quam sint pietatis perplena apud MARIAM viscera. Defuit vinum, nemo ab ea ut succurrat petit, ipsa ultro rem suggerit Filio, & ut inopiæ subveniat precatur; Usque adeò parata est MARIA egentibus succurrere, ut non sint tam faciles promptique homines postulare subsidium, quam ipsa impetrare auxilium. Elabora igitur MARIÆ te patrocinio, assiduis tuis in eam obsequiis reddere commendatum,

tum, si etiam nihil cogitans ejus vis experiri intercessionem. Devotio ad B. Virginem.

4. Vinum non habent.

O Quam multi sunt qui vinum non habent! aliis vinum deest gratiæ, aliis pœnitentiæ, aliis fervoris, aliis consolationis, aliis misericordiæ in proximos, aliis zeli Dei gloriæ, hominumque salutis, aliis aliud vinum deficit; sitique pereunt tam ipsi, quam jumenta ipsorum. O Rebecca! quis dabit potum nobis & camelis nostris, nisi tu Soror nostra MARIA Filio tuo dixeris, Vinum non habent. Ecce, Fili, servi tui, sicut in via deserta & inaquosa sic in Sancto apparent tibi, miserere illorum. Verè ô MARIA non habet vinum anima mea, quo olim abundabat, fervoris & jugis, constantisque ad perfectionem conatûs: plena est aceto amaritudinis fecibus peccatorum, aquâ tepiditatis, ac immortificationis: vult & non vult, quia ei vinum deest, illud quod lætificat cor & dilatat.

Impetra mihi vinum iſtud, vinum conditum, vinum Sanctorum.

5. *Quid mihi & tibi mulier?*

HÆc utique deberet eſſe vox verè Spiritualium; quorum attendere eſt non quid caro poſſit, ſed quid Spiritus velit, non acquieſcere carni & ſanguini, ſed ſcire ſe expedire à carnis blanditiis. Blanditur vanitas, blanditur curioſitas, blanditur ſenſualitas, voluptas, Propria voluntas, Superbia, blanditur vana multorumq; rectefactorum conſcia gloria: Reſponde illi; Quid mihi & tibi mulier? Non propter te cœpi, non propter te finiam. Ego me non arbitror comprehendiſſe; & licet nihil mihi conſcius ſim, tamen neſcio utrum amore dignus ſim an odio? quare mihi pro minimo eſt, ut ab humano judicer die, ſi enim adhuc hominibus placeo, ſervus Chriſti non ſum. Eſto omnia, quæ facere debui, fecerim, tamen ſervus inutilis ſum. Quid enim habeo quod non accepi? aut, quid prior dedi illi, ut retribuat

mihi?

mihi? Sic districto tibi, nunquam lascivire licebit.

6. Nondum venit hora mea.

TEmpus vestrum semper est, hora autem mea nondũ venit, ait Christus iis, qui eum mundo manifestare se requirebant. Fac homo & tu similiter. Non enim hic est hora gloriæ, non est hic hora mercedis, non hora triumphi, sed hora hic est gratiæ, meriti, hora humilitatis, patientiæ, laboris, pugnæ. Dic proinde superbæ cogitationi cupienti honorari, Nondum venit hora mea; Dic desidiæ volenti quiescere, Nondum venit hora mea, nec quies mihi aut honor, sed labor & confusio debetur. Disce hic à Christo, cui ea verba frequenter sunt usitata, Domûs religiosæ tempora ordinemque non negligere, si Religiosus es; ferè enim unus ex defectuum fontibus est, Temporum neglectus. Cogita, hisce quoque Christi verbis, tepidos sæpè homines uti, qui quoties illis de morum emendatione, deque pœnitentia &

novo

novo fervore sermo vel cogitatio insinuatur, respondent quandoque, Nōdum venit hora mea, adhuc satis ad pœnitentiam temporis est; cum mors ingruet, agam quæ sunt agenda. Tu cave horum sequaris exempla, sed potiùs nunc agenda age; cogitans, hanc esse horam animæ tuæ, hoc esse tempus salutis, tempus acceptabile, & breve quidem ac momentaneum. Non itaque carni illud impende, sed dic; O Caro noli præripere tempora; Animæ quidem salutem impedire potes, tum autem operari non potes. Nondum venit hora tua caro ut requiescas, & affluas deliciis; exspecta, dum anima & sibi & tibi prospiciat. Hæc enim prudentia est Sanctorum, ut carnem in præsenti premant, spe autem laxitatis futuræ lactent. E contra improbi, nunc quidem carnis desideria perficiunt, in futurum autem illam æternis suppliciis secum reservant.

7. *Quodcunq; dixerit vobis facite.*

TIbi dictum puta, nam & minister

es Sa-

es Sapientiæ, minister & dispensator Mysteriorum Dei. Non habes quid dispenses? MARIÆ præscriptum serva; Quodcunque dixerit tibi, facito. Non succedit tibi cura animarum, nec votis laboribusque fructus respondet? vide ne sit culpa in te, vide ne Dei servitium negligas. Revera enim indignus est quem homines audiant, qui Deum ipse non audit. O Homo, ordinem serva, tu Deo subjiciaris, tibi caro, si autem renuis tu subjici Deo, nequaquam caro subjicietur tibi, aut alius aliquis homo. Scito itaque, quia conversionem animarum, maximè & frequentissimè Convertentium impediunt peccata.

8. Impleverunt usq; ad summum.

OBedientia ut sonat est implenda. Quinimò nec præmium meretur, qui non ad exitum perseverat. Ridetur enim ille, qui ædificare cæpit, & consummare non potuit; potiusque Filius ille Patris implesse voluntatē est judicatus, qui quamvis ad initium noluit,

noluit, in fine tamen ivit, præ illo qui dixit, vadam, & non ivit. Ad hæc, verus Christi servus, nunquam dicit Sufficit; nunquam enim ignis satiatur lignis, nec Amor Dei, divinis obsequiis, sed ad summum usque implet hydrias, legem scilicet & Consilia: pro mensura Gratiæ perfectioni insistit, & constanti incumbit animo, ut nihil perfectionis, quod Divina gratia potest consequi, negligat. Et licet hydriæ lapideæ graves sint ad portandum; tamen eas implet. quia verus obediens & proficiens, gravitatem aut duritiam præceptorum non æstimat, quia obedire tantùm & proficere amat, ibi autem non dura necessitate servitur, ubi diligitur quod jubetur.

9. *Haurite nunc & ferte.*

QUando impleberis ad summum; postquam Concha fueris plena fervore & robore Spiritûs, tunc hauriendum aliis præbe, tunc ad Deum alios trahe, tum pretiosum educ de vili; alioquin quid prodest mundum

dum lucrari Christo, & perdere animam tuam. Si mundum totum vis esse Christi, cur te excludis; an tu aliquid mundi non es? Nihil prodest lucernæ, quamvis aliis luceat, sibi autem consumatur. Proinde cave ne sis sicut æs sonans & tympanum tinniens, nevé dum aliis prædicaveris, ipse reprobus efficiaris.

10. Omnis homo primum bonum vinum ponit.

ITa est omnino. Oportet mundum & carnem minui, Deum autem & Spiritum crescere; Initia mundi sunt magna, Dei vero initia sunt parva, at finis e contra mundi parvus & tenuis, vilis, malus; DEI finis magnus, solidus, gloriosus, bonus. Vides, quod sæcularium gloria tempore senescat, Sanctorum verò succrescat. Sic igitur & tu servatum puta bonum vinum usque adhuc. Crede, te nondum mensuram tuam implevisse, grandemq; tibi viam restare ad montem Dei. Intellige, te adhuc esse in matutina luce, nondum profecisse;

non-

nondum ad perfectum usque die
crevisse, Si quid boni & jucundi i
mundo vides, scito fallaciam, b
numque vinum primo sanè positu
esse, at servatum deterius ad vesp
ram, postquam jam convivæ inebria
fuerint. Non utitur hâc fraude D
us; initio apponit quod deteri
quidem esse videtur, salubrius tame
est, purgat enim, roborat postea, d
nique consummat. Unde, hæc Sa
ctorum Dei est methodus, luger
dolere, pati, laborare, crescere, pr
ficere, augeri semper, juxta illud
Qui justus est justificetur adhuc, q
Sanctus est sanctificetur adhuc.

DOMINICA III.
Post Epiphaniam.

1. *Ego veniam & curabo eum.* Matt: 8,

O Voces plenas magnificentiæ &
munificentiæ! In propria pers
na Deus & Dominus Jesus promi
tit se ad me venturum. Ego, ait, v
niam, non Angelum mittam, non p
aliquem Sanctorum rem expediam
sed,

sed, Ego veniam. O Domine nonne millia millium assistunt tibi, & decies centena millia ministrant tibi! mitte horum aliquem & satis erit. Sed neque horum aliquo opus; dic verbo, mitte Verbum tuum; Non ita, inquit, fiet, Ego veniam. Sed quis sum ego Domine ut venias ad me? Ecce homo peccator sum veniam & curabo te. Facessite itaque omnes Curatores & curationes aliæ, Dominus solicitus est mei, & quid deerit mihi? Obstupesce anima mea ad verba ista, Ego veniam & curabo te. Quis loquitur, aut quid loquitur, aut quem curare, aut cujus habere vult curam, Deus est. Jesus te curare vult. Morbida es? curabit; confracta? curabit; jaces? faciet ut stes; polluta? curabit ut munderis, paupercula? curabit ut diteris: omnia quibus eges, tibi curabit, dicit enim: Ego veniam & curabo. Quid retribues ei? non est aliud, quam illud, Domine non sum dignus. Indue affectum Centurionis, & Christo illum

da. Sat ei erit, mirabitur insuper do-
num, & dicet; Non inveni tantam
fidem. Sic fac Anima, Sic age; dic
Domino, Domine non sum digna.
Hem, quo sim digna! quæ in conspe-
ctu tuo sum nihil?

2. Domine si vis potes me mundare.

DIsce ab hoc leproso orandi mo-
dum, si vis orationis consequi effe-
ctum; magnifice petit leprosus, ma-
gnificè mundat Christus. Ille Soli
Christi voluntati potentiam tribuit
mundandi, hic sola quodcunque vult
potest & facit voluntate, Ille magni-
ficè sentit de Christi voluntate, ac
proinde mox magnifica à Christo sa-
natur virtute. O si sciremus aut vel-
lemus tam magnificas preces fundere
ad Deum! quid non à magnifica ejus
bonitate & voluntate obtineremus!
Gaudet enim magnificus Deus, ma-
gnificè rogari: magnificè verò roga-
tur, quando resignanter in ejus San-
ctissimam voluntatem oratur.

3. Domine puer meus jacet paralyticus in domo.

Ecce

ECce aliud orationis fideiq; exemplum, nescio an non priore magnificentius. Tantùm exponit, nec amplius addit, tamen quod vult obtinet. Deus enim qui cor videt, & radices desideriorum exaudit, ait; Ego veniam & sanabo. O mi JESU! Ecce puer meus unicus, mihique pretiosus, Anima videlicet mea jacet morbida in hac corporis domo, & male torquetur; Responde etiam mihi, Ego veniam & sanabo eam. Plus equidem Centurio impetrat quam postulat; indignum se Christi ingressu ad se judicabat, nec tantam Christi dignationem sperabat, multò minùs petebat; sanitatem quoque servo suo non poscebat, sed re tantùm expositâ, totum voluntati ejus relinquebat, & tamen omnia ad amussim impetrabat. O verè mirus, verè magnus, verèque efficax orandi modus! penetra illum cor, & medullitus edisce. Hoc enim verè est jactare cogitatum suum in Dominum, & ipse faciet. Quid faciet, imò quid non faciet? D 2 O Pie-

4. Ego veniam & sanabo.

O Pietas, ô mansuetudo! audit in
firmitatem, promittit sanitatem
Utinam gustare possemus ô Iesu sua
vitatem mansuetudinis tuæ! Ver
mirabilis es Domine & facies tua pl
na est gratiarum. Applica aures an
ma mea ad audiendas has voces Chr
sti, Ego veniam &c. Applica ocul
ad videndam suavitatem hilaritatem
que dicentis; Applica gustum a
istorum verborũ mel degustandum
Applica mentem ad interiores aff
ctus Christi dicentis penetrandos,
disceque modum cum proximis tu
suaviter procedendi.

5. Ego veniam & sanabo.

ERubescat Operariorum, & omniu
eorum, quibus ex instituto aliorum
curare salutem incumbit pigritia. V
caris ad consolandum mæstum, nu
quid dicis Ego veniam? Vocaris a
faciendam concionem, nunquid dic
Ego veniam? Nonne potius difficu
tates prætendis, morosum te geri
adfers excusationes, prætexis fatig

tiones

ones, ad alios remittis, & ſimilia ?
oc videlicet eſt cum Chriſto dicere,
go veniam, hoc Chriſtum eſt imi-
ri, ejusque zelum & ſuaviſſimos
iores exprimere! At verò ſi ad con-
ivia, tractationes munera, vel re-
reationes invitamur, ſanè tum zelus,
im facilitas prompta eſt, primi tum
e contendimus, aliisvé invidemus.
) cæcitas, ô caro, ô ſenſualitas,
uæ non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed
uæris quæ tua ſunt, non ea quæ Chri-
ti: Utinam vel unico hoc Chriſti
xemplo, veram diſcamus ad alios
uvandos accurrendi promptitudi-
em. Ne fortè nomine quidem & in-
tituto Chriſtum jactemus, re autem
t facto longè ab eo abſimus.

6. Domine non ſum dignus.

) Mira humilitas! ô ſolidæ exem-
plum virtutis, promittit ſe Jesus
enturum ille verò judicat ſe indi-
num. At nos ſi quæ fortè nobis gut-
a Solatii venit de cœlo, continuò
d cor altum aſcendimus, de Sanctita-
e nobis blandientes, gratiaq; ipſa

extollimur; quasi prœmium illa est aut debitum,& non gratis data. Hi etiam fit, ut sæpè fervor ille divin recedat à nobis, quem indignè tr ctavimus, indignèque ad eum accei mus: imò, peccatum, ut appareat m gis peccatum, per bonum operat nobis mortem, ut fiat, supra modu peccans peccatum. At in hoc Ce turione vide certamen pulchrum, disce implere illud Sapientis. Qua tò major es, humilia te in omnibu rara enim sed solida est virtus, H militas honorata, maximè, si à D honoretur.

7. *Nam & ego homo sum.*

AGnosce unde tanta in Centurio sui humiliatio? Nam & ego, i quit, homo sum. O! si scirent ge tes, quia homines sunt, utique se m gis sub potentis Dei manu humil rent. Nunc autem dicitur illis, ignoras te, egredere & abi post bernacula pastorum, pasce hædos os. Vis humilis esse? vis hoc ma dictum effugere? dic tibimetip

Ecqu

Ecquid fecit homo quod non possit facere alter homo? Nosce teipsum.

8. Habens sub me milites.

COgita, utrum & tu dicere possis, Habeo sub me milites, vel potiùs dicere debeas, Habeo contra me milites? Exemplo illius qui dixit; Oculus meus deprædatus est animã meam. Etenim, quid sunt aliud immortificatæ passiones tuæ, sensusque externi, nisi quædam militum cohortes, quæ militant adversus animam? Si itaque sub te est appetitus tuus, & tu dominaris illi, habes sub te milites; sin vero ratio servit concupiscentiæ, contra te est miles tuus, inque ipsis castris furit, seditio, quâ nisi sedatâ, victoriam nullam spectare potes. Mortificatio passionum.

9. Non inveni tantam fidem in Israel.

AN hoc novum est bone IESU, ut Sæculares ferventius tibi serviant, quam plerique nostrûm, qui veste tenus Religiosam profitemur vitam? Heu mihi! quoties ego abundans & affluens bonis Spiritualibus fame pereo!

reo! cum interea mercenarii in do-
mo Patris mei satientur panibus, &
Publicani ac meretrices, accumun-
bant in regno cælorum filii autem
regni ejiciantur foras!

10. Dico autem vobis quod multi.

O Quàm multi me posteriores, tem-
pore, ætate, scientià, rerumque ex-
perientiâ, priores tamen fervore
recumbunt jam in pace animæ, in
cordis puritate, in perfectione cha-
ritatis, in Sponsi amplexu, in Dei
unione! Ego autem in tenebris erro,
impingo, palpo, passionibus agitor,
& tamen in luce me esse glorior, Sa-
nctitatem simulo, solâ annorum plu-
ralitate & pigritiâ superbiens; nec
adverto, eos qui novissimâ horâ ve-
nerunt, pares mihi jam factos esse vir-
tute, mercede: quia me fervore sui
abnegandi, excesserunt. O quanta mi-
hi nunc confusio, & quanta in judi-
cio erit, quando Novissimi fient pri-
mi; & Primi, incipient cum rubore
tenere novissimum locum.

DO-

DOMINICA IV.
Post Epiphaniam.

Quid timidi estis modicæ fidei. Matt: 8.

SI nulla natio tam grandis est, quæ Deos habeat sibi tam propitios tamque propinquos, sicuti Dominus Deus tuus tibi Anima mea, quid itaque timida es? Nonne timor iste modicam arguit fidem? At, inquit, insurgunt tentationes, crebri lapsus, etiamnum novam minantur ruinam, resurgendique faciunt difficultatem, terrent vestigia aliorum, qui è Sanctiori prolapsi sunt gradu; Audi dicentem; Quid timidi estis modicæ fidei? Habe itaque fidem cor meum. Ecce enim in navicula tua Iesus; spera in eo, & ipse faciet. Quamvis quidem dormire videtur, tamen ipsi est cura de te. Nam ad quid aliud venit, inque tuam naviculam ascendit? Verum, inquies, venit non ut me curet, sed ut quiescat. At stulte, quomodo quiescet ipse si non curabit te? putas te naufragante, & ipsi

ipsi surgendum nō esse? Si apud t
vult quiescere & dormire, utique &
te debet salvare. Molestum itaqu
esse Christo, cognosce, si quis in eju
præsentia timeat naufragium, aut pe
riculum, licet ipse dormire videa
tur, cor ejus vigilat & excubat pr
navicula; ne igitur timeas, aut si fo
tè sine timore esse non potes, Ecc
nunc est, ecce vigilat in Sacrament
ad preces tuas, pericula illi expon
tua, & ipse imperabit ut fiat quies
Et dices tunc, Quis est hic, qu
venti obediunt ei? ô verè quis e
hîc? qui ex me tam arido tam veg
tum, ex me tam frigido tam ferve
tem, ex me tam debili tam fortem, e
me inconstanti, tam serium, accur
tumque facit? ex me tam turba
passionatoque ut mare, tam quietu
& mortificatum, ex me tam levi,
volatico ut ventus, facit tam solidu
& constantem ut petra. Nonne
ipse est cui venti & mare obediun
Huic fide ô navis mea, huic adhær
ad hunc portum anhela, & quoti
con-

communicas in eo conquiesce.

2. Secuti sunt eum discipuli.

COnsolatio magna infirmis Spiritu, quia Jesus non solum in terra, solile perfectorum, sed in navicula interdum ex imbecillitate fluctuantiũ, dormit & quiescit. Non est enim difficile Domino ditare pauperem, cui non abominabile est, eundem de stercore erigere & collocare cum Principibus populi sui; quoniam pusillum & magnum fecit ipse. Est autem & exemplum omnibus Christi asseclis, quod eum secuti sint Apostoli, non solum per terras securitatis, sed etiam ascendentem in mare gravium turbationum & afflictionũ. Hinc enim omnes discere debemus, Christo non solum in prosperis esse adhærendum, sed etiam in adversis, non solum in pacatis, sed etiam in rebus periculosis, nec solum Deo fidere in rebus certis, sed etiam spem contra spem habere.

3. Et ecce motus magnus.

MAre est mundus, seu mundanorum corda. Quâm facilè illud, tam facilè ista turbantur. Mare est ventorum ludibrium, nutrix monstrorum; omnes in se fluvios excipit, nec tamen accrescit, & quamvis dulces in illud influunt aquæ, ipsum tamen amarum est & salsum. Omnia hæc in mundano accidunt corde; nec tantum mare agitatur procellis, quantum passionibus & affectibus animus cruciatur, & divexatur. Plenum quoque est cor mundanum monstris scelerum, struthiones ibi habitant, & omnia immunda; terrenis bonis semper inhiat, quibus tamen satiari non potest: fluvii sunt refluentes; quia bona mundi manère & stare nesciunt, ab uno fluunt ad alium. Ubi magni reditus, magnæ etiam expensæ. Qui à multis timetur multos timet; quem alii honorant, & ipse alios colere cogitur. Omnia dulcia vertit in salsa: quia dona Dei, æternæque salutis auxilia, vertit in pestem sibi æternam &c. Tu itaque si hæc mala

sign

figna in te advertis, mundanum te cor habere fcito. Et quid prodeft tibi, de mundo exiiffe, & cor mundi retinuiffe? Profeffio tua eft, omnibus caducis fuperiorem effe, folis æternis duci rationibus & moveri. Iam fingula occupationum tuarum puncta percurre, quibusque rationibus ductus, ea obire foleas, vide, & an id terrenum, vanum, fluxum, fenfuale, proprium, an verò Divinum, æternum, folidum fit, adnota.

4. *Ipfe verò dormiebat.*

AGnofce quid factus fit propter te Deus tuus, quo propter te devenerit ille, de quo dictum eft; ecce non dormitabit neque dormiet qui cuftodit Ifràel; en jam in tanto difcipulorum fuorum totiusque naviculæ periculo obdormivit. Non fanè ob torporem aut fomnolentiam, fed tum ob nocturnam in orando vigiliam, tum ob diurnam in prædicando ambulandoq; defatigationẽ. En tanti Chrifto conftitit, perditam ovem quærere Hem! quantùm

verò

verò tibi pro propria ſalute, vel Dei gloria eſt laborandum, ſi Deum pro aliena & tua ſic laborare vides ſalute? Ecquis jam Domino Iesu nolit ſervire ad defatigationem, quem usque ad tantam videt laborare laſſitudinem?

5. *Ipſe verò dormiebat.*

SEcurus ſcilicet omnis periculi, qui expers erat omnis piaculi. O ſi peccatum ex corde expellere poſſemus, nihil eſſet diſcriminis quod metueremus. Juſtum enim ſi intus bene eſt, omne quod exteriùs ſtrepit & furit non terret, quia ei non nocet. O ſi ad eam animi quietem liceat pervenire! ô ſi ad eam in divina providentia reſignationem & acquieſcentiam fas ſit aſcendere: ut in omni videlicet adverſitate & diſcrimine, in omnium oppugnatione & reſiſtentia, Animus quieſcat, & quaſi dormiat, ſecurus Dei, ſecurus ſui. Unica in his via eſt efficax, Divinæ providentiæ experimentalis cognitio ac penetratio: qui enim Deum ſibi in omni-

omnibus providere certus eſt, nullum malum timere poteſt, at qui Chriſtũ dormire putat, & nonniſi ſuſcitatum & vigilantem auxilium dare poſſe putat, nunquam à turbis liber erit. Conquieſce anima mea in providentia Dei, & non comfunderis in æternum.

6. Ipſe verò dormiebat.

CAuſa turbati maris ſomnus Chriſti eſt. Inde in mari tempeſtas, quia Chriſtus in mari dormit; & inde quoque in homine exſurgit tempeſtas, quia Chriſtus in corde ejus obdormivit. Quia dormitavit anima tua præ tædio & tepiditate, ideò res tam vilis tam levis, verbulum unum, te turbavit. Si amor Iesu in te vigilaret, hoc eſt ſi ferveret, iſta te non turbarent, nec alterarent: vis eſſe ſine turbatione, mane in fervore. Item quando mare turbatur Chriſtus tunc dormit, id eſt, quando cor circa externa vagatur, Chriſtus in eo obdormit, & tale cor negligit. Vere igitur dici poteſt, & quia Chriſtus

ſtus dormit, mare turbatur; & qui mare turbatur, Chriſtus dormit. Interdum etiam quando amatores ſuos Chriſtus vult probare, vel eos qui in ſe ſint ac poſſint, docere, obdormiſcit aliquantulum, ſive deſerit eos, ut ſic poſtquam ſe agnoverint turbatos, intelligant, à quo id quod antè quieti fuerint, habebant; ſecundum illud Davidis: Ego dixi in abundantia mea, non movebor in æternum; avertiſti faciem tuã, & factus ſum conturbatus. Quando igitur benè eſt animæ tuæ, ſcito Iesum vigilare: quando verò non nihil turbatur, Iesus obdormivit & ſuſcitari deſiderat. Dormiẽte Iesu vigilat mare, quia devicto Spiritu inſoleſcit caro. Dormiente Iesu turbatur quoque mare, timet & tremit, quid putas faciet eo vigilante? Quieſcet ſine dubio, obediet, & ſi opus fuerit, ſolidum ſe pedibus ejus ſubſternet.

7. Et acceſſerunt ad eum.

AN receſſerant quia accedunt? receſſerant diffidentiâ, accedunt fide,

de, recesserant desperatione, accedunt invocatione, recesserant in securitate, accedunt in periculo, nempe cum occidebat eos, revertebantur ad eum. Vide quantus tribulationis fructus. Ipse accedit ad IESUM, suscitat IESUM, impetrat salutem. Quàm verè dictum est, Pædagogus Sanctorum est Tribulatio? At pueri qui discoli sunt, sub hoc Pædagogo esse, molestè ferunt.

8. *Accesserunt & suscitaverunt.*

MIro modo fides infidelitati plerumque permista est. In periculo ad IESUM fugiunt, Salva nos, clamant, hæc fides est: A somno eum suscitant, tanquam evigilandum ei sit, si salvare velit, hæc est infidelitas. Placuit ergo Christo petitio, ac proinde illam implevit, non placuit suscitatio, ideò timoris illam arguit: si enim credunt quid excitant? quod si excitare opus est, sanè plena fides non est, modica est. Verè pravum est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud? Nonne

justè dicès anima mea; Verebar mnia opera mea, quoniam & si mi nihil conscius sum, tamen utrum dio an amore dignus sim, nesci Deus autem judicat me, non parc delinquenti. Beatus qui semper p vidus est, & justorum est timere pe catum, ubi etiam non est. Timor S lutaris.

9. *Domine salva nos perimus.*

IMitare discipulos Christi in hc quia in periculo salutem à Chris petunt; in hoc verò non imitat quia tum primùm cum pereunt, eu quærunt. Nam etsi nec tunc desp randum est, pœnitentia tamen ser rarò vera; Paucos invenies latrone qui in morte ad Christi cognitione venerint, paucos reperies Simone qui senes de villa amoris mundi gressi, crucem portârint post IESU Paucos quoque Religiosos invenie qui ætate exactâ fervorem amplex ad perfectionem pertigerint. Qua est stultum dicere, tunc istud pond tam vastum feram, cum viribus defi

tuar

tuar ; nunc quando robuftus fum, nõ feram. Quam effet ftulta Volucris quæ diceret, poftquam mihi exciderint pennæ, tunc volabo ; integris alis volare nolo. Sic facit, quisquis fibi poft certos annos, fervorem in orando, in fervandis regulis, in carne mortificanda promittit. Fac nunc fi fapis, quod poft facturum te dicis. Nam quis tibi pollicitus eft vitam, quis fpopõdit fanitatem, quis bonam promifit voluntatem? Deinde nonne in defuetis major erit dolor, in radicatis major labor ? Nefcis, plures inveniri,qui innocentiam fervent, quàm qui verè pœnitentiam agant? nefcis plures effe qui nunquã intepuerant, quam qui à tepore ad fervorem redierunt? Nefcis rariorem Phœnice effe, eum, qui ab eo gradu perfectionis, quem femel in initio Religionis affecutus eft, ad ulteriorem afcenderit? Ardua adeò res eft afcendere! quid igitur dicis, poftea fiam melior ? dic potius nunc fiam melior. O quot bonæ volunta-

tes,

tes, & Sancta propoſita ardent in in ferno. Corvorum hæc vox eſt, Cras Cras, nigredinem deponam, aut aſſu mam albedinem, quod tamen nun quam præſtant.

10: Venti & mare obediunt ei.

PRoh pudor! agnoſcunt venti & mare Chriſtum imperantem, & obe diunt ei! Ego autem rationalis crea tura, non tantùm imperantem no audio, ſed nec petentem exaudio nec præeuntem ſequor. An non me ritò, Erubeſce Sidon, dicit mihi ma re, quoniam id quidem imperium co gnovit, ego verò & minas, & bene ficia, & exempla, & præmia neglig eique obedire recuſo. Hem tandem nonnè aliquando ſubdita eris De Anima mea? cui ſervire, règnare eſt

DOMINICA V.
PoſtEpiphaniam.

1. Domine nonne bonum ſemen ſemina-ſti. Matth: 13.

COgor mi Iesu loqui & fateri con tra me amaritudines, & utinam a

falu-

salutem, & non ad insipientiam mihi; En toties tam bonũ Sacratissimi Corporis Sanguinisque tui semen seminasti in corde meo, & nihil prætermisisti, quod facere poteras, ut fructus tibi facerem perfectionis, fervoris, constantiæ, patientiæ, humilitatis, & nihilominùs ager iste infelix habet zizania, parturit lolium, profert spinas, opertus est urticis, nec accusandus mihi alius est quispiam præter me ipsum; ego enim inimicus ille homo sum, non qui hoc feci, feci autem solum occasionè somni, sed ipso somno. Quid est enim tepor iste meus tam grandis, tamque inveteratus, aliud? nisi somnus, quo Anima mea velut lethargo depressa supina stertit? Quid faciam mihi ipsi mi Iesu tam malè laboribus tuis respondenti? nihil quidem mihi restat aliud, quam confundi ante te, & confiteri adversum me injustitiam meam. Tu autem remitte iniquitatem peccati mei, & etiam hac vice, semina semen tuum in corde meo; si fortè ego,

auxiliante te, abjiciam omnem in-munditiem & abundantiam malitiæ, suscipiens verè in mansuetudine ho tuum insitum verbum, quod potest salvare animas nostras, faciam digno fructus, omneque zizaniorum genu procul à me exterminem. Tu ver anima mea præpara te ad excipiendum dignè, hoc admirabile semen verbumque insitum, & postquam illud susceperis, non ampliùs des oculis tuis somnum, & palpebris tu dormitationem; ne fortè iterum veniat inimicus homo, & superseminet zizania, & fiant novissima pejora prioribus. Quoniam væ terræ, ex hoc semine fructum non ferenti, vel loliu ei admiscenti &c.

2. Simile est regnum cælorum.

HOmo qui seminat bonum semen i agro suo, Deus est; semen, ejus e voluntas, mandata, consilia; Seminatio, est inspiratio, ager, cor humanum. Dormiunt homines, quando neglectis Dei inspirationibu sua desideria sequuntur, cessantq

operibus bonis, à lectione Spiri-
uali, á fervore & frequentia oratio-
is, à discussione conscientiæ, à col-
oquiis bonorum. Inimicus homo,
iabolus est; dictus homo, quia in
iis tentationibus, humanitatem præ-
fert, ab humanis incipit tentatio-
ibus, induit speciem humanam, &
landè voluptates carnis ingerens
perseminat zizania, ita ut ii qui
piritu olim cœperunt, carne tandem
onsumment, quærantque honores,
ræeminentias, commoditates in o-
nnibus, in cibo, veste, lecto, domo,
ecreatione &c. ostentationes & si-
nilia. Hæc enim omnia diabolus,
itico piarum & ordinariarum acti-
num superjacit, ut nõ purè ad Dei
onorem, profectum proprium, sed
erfunctoriè. vel mercedis terrenæ
c caducæ causâ fiant. Quod, bone
Deus! quam frequens est? Cum ta-
nen de hoc Veritas conqueratur,
icens; Amen dico vobis, percepe-
unt mercedem suam, dignam labori-
us & adinventionibus suis; vani
vide-

videlicet vanam, & nullius frug
Agnoſce tandem Anima mea, qua
ſit miſerum, iis laboribus quib
æterna poteras mercari præmia, v
niſſimas lucrari commoditates ac r
putationes; & non deſidera, ut op
ra tua in hac tibi vita compenſent

3. *Simile eſt regnum cælorum homini.*

IN hoc Evangelio explicatur ini
um, progreſſus, & finis tam bon
rum quam malorum. Bonos Deus
minat, en initium; boni creſcun
en progreſſus; boni colliguntur
horreum, en finis. Superſeminant
& mali ab inimico homine, & h
eſt initium eorum; Sinuntur creſc
re usque ad meſſem, en profectus;
mittuntur in ignem, hic finis. A
tende quorum ſis ex claſſe; num i
ter triticum, num zizania? Si exe
ceris à malis, triticum es, ſi tu exe
ces bonos, Zizania es. Conſide
linguam tuam & indicabit tibi.

4. *Simile eſt regnum cælorum homini.*

COnſidera proprietates hujus bo
ſeminatoris. Prima eſt, quia ſem
nat

at bonum ſemen; quod enim Deus
facit, bonum eſt. 2da, Quia ſeminat
in proprio ſuo agro non alieno; ſuo,
ob creationem; ſuo, ob redemptionem;
ſuo, ob naturale, quod in quemlibet
habet hominem dominium; ita
ut non ſit qui poſſit reſiſtere voluntati
ejus; Suo, ob voluntariam hominis
ſubjectionem, Deo in baptiſmo,
atquè profeſſione factam. 3tia, Quia
patienter tolerat ſuperſeminationem
zizaniorum & ipſa zizania. 4ta,
Quia ita favet bono ſemini, ut propter
ejus ſecuritatem parcat & zizaniis,
usque ad meſſem. Ubi ejusdem
apparet prudentia: nam initia zizaniorum
& tritici ferme æqualia ſunt;
nam & reprobi incipiant bene, ſicut
prædeſtinati aliquando malè. Et
quandoque utrique incipiunt perguntq;
bene, & utrique incipiunt
perguntq; malè: unde non facile eſt
reprobum dignoſcere ab approbato,
donec advenerit meſſis, hoc eſt
hora mortis. 5ta, Quia tritico maturitatem
conſecuto, ſeparat illud à

zizaniis, & in horreum ſuum r
nit, zizania verò in ignem aman
juxta illud Apoſtoli; Quos præ
ſtinavit, vocavit, quos vocavit,
git, quos elegit, ſanctificavit, q
ſanctificavit, hos & glorifica
O me Beatum ſi cum illo in ve
tritico! væ autem mihi ſi de
zanis fuero.

5. *Cum autem dormirent homines.*

INfelix dormitio quæ dat locum
zaniorum ſemini. Et quamvis ſ
peſſimè mortalibus iſthæc cedat
mnolentia, nullum tamen vulgar
inter homines vitium hoc ipſo
Ubi enim non plena omnia ſocor
& Acediæ, circa divina obſequi
Vide quanti viri, quanta paſſi ſint
ſomnis. Nòe dormiens nudatus,
riſusque èſt à Filio; Dormiens Sa
ſon proditus eſt à Dalila. Dorn
ens Siſara, occiſus eſt à Iahel. D
miens Holofernes, Judith manu occ
buit. Dormiens Miphiboſeth, à l
trunculis in meridie necatus, dorm
ènte oſtiariâ. Dormiens David p
riiſſet,

iiſſet, niſi à Michol, ad fugam exci-
atus fuiſſet. Dormiens Saul pæne pe-
iit. Dormientium diſcipulorũ Chri-
i oculi erant ſomno gravati in hor-
o, unde & Sathan expetiit cribrare
os. Anima mea excute veternum,
udi Apoſtolum: Surge qui dormis,
ora eſt, jam nos de ſomno ſurgere:
ericuloſa nimis res eſt dormitio, ſi
s & tantis tam male ceſſit, quid de
e fiet! verè hora eſt mi Iesu, & quæ?
it quota eſt? decimus annus eſt, &
o dormio adhuc. Tu clamas &
s: Simon dormis? quid dormitis?
igilate & orate. Ecce Sponſus ve-
t exite obviam ei. At ego fatuis
ilis Virginibus, poſtquam oleum
ærendum fuerat, & ornandæ lam-
des, dormivi; jam cum excipien-
s ſit Sponſus, Oleum quæro; Horâ
gendi, me trico & frico, & mo-
i facio, ſimilis illi pigro dicenti;
e paululùm, exſpecta modò, ecce
do, ſed modò non habet modum.
cita me Domine; Intona ſuper me
e grandi & forti, ut evigilem &

custodiam vestimenta mea.

6. Venit inimicus homo.

COnsidera inimici hujus propr
tes. Prima est, Quia est homo
citur videlicet homo, non pro
humanam naturam, sed quia, vel
minis inimicus est, vel, quia hu
nis se se moribus, & humoribus,
tentat, accommodat; vel quia
mines tentat per homines. 2da, Q
inimicus est, vel, ut Christus
vocat, Homicida ab initio: n
enim quærit vel spirat aliud, qu
damna, ruinas, cædes, & necem.
que inimicus crudelis, assiduus,
tis, astutus. 3tia. Quia nocte op
tur. Qui enim malè agit, odit
cem, ut non videantur opera e
quoniam mala sunt. Nocte ig
operatur, id est, cum fuco, dolo,
ignorantia. Imò ipsum peccatũ
est, & ipse Princeps est tenebrar
4ta, Quia cum dormirent homi
venit. Maximè enim diabolus de
pit homines in securitate & neg
gentia; hæ duæ ejus sunt ad ho
n

s viæ. Quare ſcitê Apoſtolus mo-
t; Fratres; Sobrii eſtote & vigi-
e. Et Chriſtus ſæpiſſimè; vigi-
e & orate. 5ta, Quia ſuperſemi-
t zizania. Quid enim à malo, niſi
alum? omnibus igitur modis cona-
r humanam ſalutem ſi non tollere,
tem impedire & difficilè reddere.

7. *Nonne bonum ſemen ſeminaſti.*

Ox hæc. Primò, Apoſtolorum eſt
ad Deum, mirantium, cur inter
leles tanta ſit ſalutis æternæ negli-
ntia, tantus pœnarum inferni con-
mptus, Dei & diſtricti ejus judicii
livio? quamvis Chriſtianos ſe ſe,
Chriſti diſcipulos profiteantur;
usque doctrinam quaſi ſemen toties
cipiant in agro cordium ſuorum.
t 2do Concionatorum, Patrū Spi-
tualium, & zelum Dei habentium,
i euntes & flentes mittunt ſemina
a, nec tamen inde reportant mani-
los in horreum Dei; Nonne bo-
m ſemen ſeminaſti per miniſteriū
ſtrum? & quis vero credidit au-
tui noſtro? Ecce hominum ager

habet zizania. Væ mihi! si hæc qu
rela eorum, qui meum profectum c
rant, justè de me fieri poterit! E
3tiò Vox diaboli, Deo, Angelis eju
ac Operariis Dei insultantis, qu
tam parùm circa hominum salute
proficiant, ipse verò malignus Sp
ritus, tam multùm: quòd filii huj
sæculi, prudentiores sint in gener
tione sua filiis lucis. Est 4tò v
hominis sibi improbrantis, piè ind
gnantis, suamque infirmitatem & i
constantiam Deo confitentis. O D
mine, quoties seminasti semen b
num in corde meo, quoties & ego b
na propono in oratione, lectione
tum patientiam, tum observatione
instituti &c. Et unde tamen ani
mea habet zizania? dedi locum p
negligentiam meã diabolo, quâ us
est ille, ac infausta ea supersemin
vit zizania.

8. *Unde habet zizania?*

VTilis quæstio, necessaria valde c
gnitio, Unde ô Religiose homo h
bet ager cordis tui zizania? Non

bonu

ıum ſemen ſeminaſti? Nonne eo
›poſito hoc vitæ genus es ample-
, ut & Sanctus fieres, & Deo per
nia placeres? Nonne ideò in ti-
inio per vota Deo te obligaſti,
n ſolidarum perfectarumq; virtu-
ı ſtudium incumberes? Nonne
: ſemen quotidie in terram cordis
immittis, dum meditaris, oras, le-
, colloqueris, Sacramenta ſuſci-
, cohortationes audis, exempla
les? Unde igitur habet tot & tan-
tamque adulta vitiorum, immor-
cationum, murmurationum, diju-
:ationum, diſcordiarum; aliorum-
: linguæ, gulæ, ſuperbiæ, iræ &c.
lorum zizania? nempe dormiunt
nines, atque à primis illis fervo-
us receſſerunt, & ideò inimicus
no mala hæc inſevit. Quis autem
inimicus? Amor proprius, pri-
a voluntas, judicium proprium,
iliaritas prava, occaſionum nulla
vitatio, reſpectus humani, diffi-
ıtia, & malæ de ſuperioribus opi-
nes, Evagatio mentis, incuria ſen-

ſuum, Libertas linguæ, cordis nõ ſo
cita cuſtodia, perfunctoria conſ
entiæ diſcuſſio, Lectio & Oratio
pida, non præparata, non ædificat
ſermones mutui, hæc & innumera
tia, homines ſunt inimici, hæc ſi
zizania: hæc ſi abeſſent, nec zi
niis, nec diabolo locus eſſet: non e
unde quis dicere poſſet; ô Divi
ô ſancta Religio! unde habet a
tuus zizania? nonne optimos qu
que tuoque inſtituto accommodat
& ſeligis & formas homines? no
tantis tamque præſentibus auxi
& commoditatibus ad bonum ab
das? unde igitur ego tam diſtort
diſcolus, difformis? dormiunt ho
nes, qui ſeſe ad interiora reduca
qui propoſitis auxiliis exactè ut
tur; Rara devotio eſt, momenta
compunctio, nulla conſtantia, & c
prodeſt decem millia habere Pa
gogorum, ſi quis ſibi ipſe nequam

9. Unde habet zizania?

ILli qui ſalutem aliorum curant,
namque ſementem docendo, co
ſio

iones audiendo, concionando, scri-
bendo, consulendo ferunt, nec ta-
men scandala in regno Dei minui vi-
dent, sed potiùs quotidie scandala
crescere intuentur, meritò quærere
debent, Unde habet zizania? Ti-
mere videlicet debent, suane culpâ
accidat, quòd tantorum laborum,
tam exiguus respondeat fructus?
Qui enim sibi nequam cui bonus?
vis esse devotos alios, qui ipse tepi-
dus es? vis multos per te à Deo ju-
vari, & ipse Dei instrumentum esse
negligis? recusas à Deo tractari pro-
ut ipsi placet, cum tamen hoc alios
doceas. Fac quod prædicas verbo,
effice exemplo; atque tunc necesse
tibi non erit quærere. Unde ager
ille, quem colis, habet zizania?

10. Vis, imus, & colligimus.

VErè zelosi, Deique gloriam aman-
tis est. Primò, Seminare semen
in agro Dei. 2do, Invigilare quo-
modo crescat. 3tio, Observare ziza-
nia etiam in herba. 4to, Ascendere
ad Deum in oratione, eiq; nascentia

 mala

mala demonstrare ac auxilium pet
re. 5to, Succinctum & ad nutu
Dei paratum esse si fortè jubeat
colligere zizania. Beati servi isti q
ita vigilant pro agro Domini su
Væ autem mihi infelici, qui non ta
tùm non dico, Vis? eo, colligo; s
postquam dicitur mihi, Volo, ut e
colligas; pigritor, renuò, moras n
cto; excusationes obtendo.

DOMINICA VI.
Post Epiphaniam.

1. *Granum Sinapis accipiens homo, seminavit in agro suo.* Matt: 13.

SI aspicis, si tenes, si gustas granu
Sinapis, informe, parvum, subam
rum est: Si tamen sumas, si mandu
ces, magnæ virtutis, miræ efficacita
tis, multiplicis & saluberrimi eff
ctus est. Aspice Sacram hostiam
tange gustu; panis est & visu, & ta
ctu, & gustu simplex. Aspice fid
eandem, sume devotione, manduc
charitate, nihil eâ beatius, nihil d
tius, nihil in omni bono abundant
us.

us. Aperi oculos fidei, quid ſub hac tantilla quantitate nõ videbis? Hominem Deum, Corpus, animam, Sanguinem, virtutes, merita, Sapientiam, Potentiam, Bonitatem, Pulchritudinem, Charitatem, Humanitatē, Manſuetudinem, Patientiam, Obedientiam, Paupertatem. Quid vis amplius? ô Divinum Sinapi quàm mirabile es! quis mihi te det guſtare, umere, tractare, prout oportet! ſeninareque in agro mei cordis prout lecet! ſit mihi amaritudo, ſint lacrymæ, ſit exinanitio, dummodo te aſcar cibo animarum.

2. *Simile eſt regnum cælorum fermento.*

FErmentum Chriſtus eſt, latens ſub ſpecie panis. Hoc anima pia acciiens, abſcondit in ſatis farinæ trius; in Anima ſcilicet, Corpore & piritu. Verbo, Opere, & Cogitatioe; Vel, in triplici Religioſorum oto. Vel, in tribus menſuris, quas uodvis opus bonum habere debet, empe, in intentionis puritate, in haritatis fervore, ſeu devotione, in

perſeverantia usque in finem. Et
nim æquum omnino eſt, hominem fr
quenter Sanctiſſimo Sacramento com
municantem, ita hoc cæleſte fe
mentum in prædicta ſata abſconder
donec tota fermententur, hoc eſt, d
nec totus homo Divinus fiat. N
ſiquidem majoris eſt efficaciæ, far
narum fermentum, quàm hoc anim
rum. Et ſanè, valde malis corpus i
lud abundare oportet humoribu
quod licèt cibo ſaluberrimo & tem
peratiſſimo paſtum, moribundas ta
men generat qualitates. Da mih
mi Iesu, ſic te ſumere, ut totus fe
menter, totus tibi ſimilis fiam, tot
in te transmuter, totus tuum guſtu
ſaporemque habeam, Tu totus in m
emineas, & ego totus ſim tuus!

3. *Simile eſt regnum cœlorum grano Sinapi*

SInapis granum ſpecie parvum eſt
vile, virtute magnum, typus e
Chriſti: qui ita parvus factus eſt, u
minoratus ſit ab Angelis; ita vilis u
non eſſet ei aſpectus, ita virorum no
viſſimus, ut opprobrium eſſet hom

num,

um, vermis, pede cujuslibet proterendus; Magnus tamen quia exaltatus à terra, omnia trahebat ad se, exibatque virtus de ipso, & sanabat omnes. Nemo est Christianorum, qui nolit esse magnus ut Christus virtute, sed & ferè nemo est, qui ei par esse velit, in vilitate, quasi non ideo Christus esset exaltatus, quia seipsum humiliavit! Stultum igitur est gloriam Christi appetere, & vitæ ejus viam refugere ac negligere, Vis eo pervenire quo pervenit Christus? eadem ito viâ, quâ ivit Christus.

. Simile est regnum cælorum grano Sinapis.

GRanum Sinapis vile & exile, forma est humilitatis, quid enim vilius humilitate? ipsa est vilitas; nisi quia voluntaria, quamvis sit & necessaria. In quantum enim quis se, contemptibilem cognoscit, in tantum se contemnit, in quantùm verò contemnit, in tantum se humiliat. Parva est, ut granum sinapis humilitas, adeò, ut cum omnibus maxima videatur, sibimet appareat minima.

Verus

Verus quippe humilis mavult vi
reputari, quam humilis prædica
Rotunda eſt,& angulis caret humi
tas, quia ſuperflua non quærit, ſec
dum naturam facit omnia, nulla
oculos affectatione incurrit, amat
gaudet detectu, ex omnibus humi
andi accipit occaſionem; Omni
Virtutes ſine humilitate congregai
quaſi pulverem in ventum port
Volubilis eſt Humilitas, facilis m
tu, ad omnem Dei, Majorum, Ra
onis, nutum. Amara item ut Sina
hæc virtus eſt; quia ſicut Patient
ad Pacem,ita humiliatio ducit ad h
militatem; humiliatio autem nõ pr
venit ſine amaritudine. Perfectiſ
ma denique humilitas eſt, quia ſo
perfectos homines facit, & ſicut ci
culi in omni figura inſcribi poſſun
vel illis omnes circumſcribi, ſic
mnis virtus vel ſervatur humilitat
vel eâ paratur, unde dictum eſt: M
lior eſt peccator humilis, quam ju
ſtus ſuperbus.

5. Simile eſt fermento.

Fer-

FErmentum fervor Spiritus eſt; ab-
ſcondere fermentum in farina, eſt
fervorem operibus adjungere. Ut
enim ſine fermento panis non ſapit,
ſic ſine devotionis fervore bonum o-
pus Deo nō placet. Unus porro actus
intenſus, facit pro mille remiſſis. Et
Auguſtinus ait; Quantò ardentius
diligimus, tantò ſerenius videbimus;
hoc eſt, juxta fervorem charitatis no-
ſtræ in opere, accipiemus amplitudi-
nem in mercede.

6. Quod acceptum mulier abſcondit.

AMant abſcondi gratiæ divinæ do-
na; nec audet Deus cordibus per-
viis, theſauros ſuos concredere.
Vult enim abſcondi eos, ab homini-
bus, vel potius ab humanis laudibus,
ut ſcilicet, quod facit dextra, neſciat
ſiniſtra: Valde quippe difficilè eſt,
dona Dei in ſe repoſita, aliis ſine va-
nitate narrare, nec minùs laborioſum
eſt, in oculis hominum bona agere,
& laudibus eorum non tangi. Pru-
dens ergo anima abſcondit fermen-
tum ſuum; vel quia id, quod facit,
non

non magni æstimat ipsa; vel quia multis modis, & in ipso bono ope defecisse cognoscit; vel quia nov sæpe hominibus videri quod bo agant, cum tamen Dei oculis pra eos agere constet, & inde eos mer pœnam, unde præmio se dignos se putabant; adeoque verentur ope sua; Et etiamsi justi fuerint, non a dent tamen elevare caput; Intel gunt, nulli unquam Sanctorum ob isse, quod latuit, multis obfuisse qu inclaruerunt.

7. *Simile est regnum cælorum fermento.*

VIlibus & obviis comparatur c lum. Non quia ipsum vile est, s quia facile, quia cuivis obvium e, quia omnibus sive ad emendum, si rapiendum; sive ad furtum est exp situm. Noli quærere de pretio reg cælorum; tantùm valet quantùm h bes, te da & habebis illud. E granum Sinapis, esto fermentum, habebis cælum; imò eris cælum, E granum, modicus videlicet in oc lis tuis, in æstimatione tua, velisq tali

talis esse in æstimatione aliena, & habebis cælum. Esto Sinapi; fervens, videlicet, & ardens Spiritu in Deum, in salutem tuam ac aliorum. Esto fermentum vile, tibi videlicet & apud te, sed virtute, labore, charitate, patientiâ, doctrinâ, ac exemplo talis sis, ut possis totam massam fermentare, inque panem Christo ac mensæ ejus sapidum convertere; non sapit sine fermento panis, nec sine zelo labor Spiritualis. Angeli sunt sine zelo nihil, haud dubium quin nec homines sine zelo Angelici futuri sint.

8. *Hæc omnia locutus est IESUS in parabolis.*

VSque modò Dominus Iesus in parabolis loquitur; usque modò sine parabolis loquitur nihil. Sed enim, quisnam credit Domine Jesu sermonibus tuis? Tanti sunt etiam hodie verba tua, quanti viles parabolæ, & triviales gerræ. Omnes quidem doctrinam Evangelii laudamus, at quis est qui verba illa facit? cum tamen scriptum sit, Estote factores verbi, non auditores tantum. Lauda-

mus

mus verba Christi ore, vituperamus ea opere. An non parabola est, Væ vobis qui ridetis. Diligite inimicos vestros. Nolite judicare & non judicabimini. Beati qui persecutionem patiuntur. De omni verbo otioso, reddent rationem homines in die judicii. Omnia ista sunt parabolæ mõdo, quia nihili fiunt à mundo, suntque tanquam deliramenta coram hominibus. Attendite verò dicentem Dominum; Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt, donec hæc omnia fiant; ut ne jota unum vel apex sit, qui non impleatur. Sed & tibi homo Religiose non videantur parabolæ, minutiæ illæ Regularum, passim à te violari solitæ. Sermones & adhortamenta majorum, Exempla meliorum, Conscientiæ remorsus & stimuli, non sint tibi, inquam, Parabolæ, sicut eæ sunt tepidis.

DO-

DOMINICA
Septuagesimæ.

I. *Quia ego bonus sum.* Matt: 20:

QUam majorē, anima mea, Christi in Sanctissimo Sacramento ad te adventûs rationem requiris, quam aliam libertatis ejus quam cum illo versari possis causam, præter hanc postulas, quam explicat tibi ipse, Quia ego bonus sum. Bonus sum ait, bonitatem tibi meam communico, bonum te facere & esse volo, idcircò ad te venio & tecum habito, quia ego bonus sum. O Anima penetra hæc Christi verba, quia ego bonus sum. Nullis, inquit, me minis adegisses nulla vi coëgisses, nullis muneribus pellexisses ut ad te venirem, nisi tantummodo propter hoc, quia ego bonus sum. Ne putes quod vel tua pulchritudine pellectus, vel tui, tuorumque bonorum indigus, quod alicujus recreationis, commoditatis, vel laudis spe inductus, ad te venerim? non: nisi,

Quia ego Bonus ſum. Quid enim e[illegible]
in te, quod mihi placere aut poſſ[illegible]
aut debeat? an origo, an natura, affe[illegible]
ctus, an tuum, Nihil, tua imperfe[illegible]
ctio, tuum peccatum? nequaquam
ſed quia ego bonus ſum Hæ ſunt ca[illegible]
tenæ, hæc vincula, hæ compedes
quæ me ad te, traxerunt, hæc mune[illegible]
ra, hæc ſpecies eſt & pulchritud[illegible]
quæ me illexit, quæ me venire coëg[illegible]
Bonus ſum & bonitas mea bona eſ[illegible]
amo hanc bonitatem meam, hæc m[illegible]
juſſit, hæc me coëgit ad te ire; fec[illegible]
ivi, veni: cur? Quia ego bonus ſum
Et tu cur quoque bonus non es? a[illegible]
quando tu bonus eris? Et quam bo[illegible]
nus tu eſſe deberes atque poſſes
quamque bonum vellem ego te fie[illegible]
ſi & tu velles, ô quantum vilia ha[illegible]
ſunt, quæ te impediunt! quæ bonu[illegible]
te eſſe non permittunt! Meus qu[illegible]
dem pudor hic eſt, quod ego ad[illegible]
bonus, toties apud te manens, b[illegible]
num te tamen non effeci; at tua hæ[illegible]
eſt damnatio, quod me tam bonu[illegible]
hoſpitem tecum habens, hactenus
tamen

tamen bonus factus non sis. Jam ipsa bonitas esse potuisses, & bonus esse nondum incepisti! De Deo Scriptum est, Cum Sancto Sanctus eris, & cum bono bonus: tu cum Bonitate, cumque ipsa Sanctitate habitans, nec bonus, neç Sanctus es. O quis es! in sole es, & non illuminaris; in igne es, & non ardes? mi homo, en ad preces vertor, en supplex tibi fio, sis bonus, quia bonus sum ego; salus ex me parata est tibi, hàc fruere, si non præmii, nec supplicii causâ bonus esse vis, saltè ideò bonus sis, quia ego bonus sum: Mihi quidem licitum ést facere quod volo, sed tamen te non cogo, non terreo; solùm rogo, quia ego bonus sum. Tu vide quid te facere oporteat atque deceat, Inhære singulis verbis anima mea, & si bona amas, ame Jesum, quia ipse bonus est.

2. *Simile est regnum cœlorum homini Patrisfamilias.*

MAgnus omnino Paterfamilias, cujus familia totus est mundus, quē faci-

facilitate, & sufficientiâ, & providentiâ, & sapientiâ, & suavitate, & efficacitate gubernat solus, quali totus mundus non potest regere & gubernare, unum vermiculum, vel levissimum pulvisculum. Si qua tamen alicubi paterna hujus Patrisfamilias eminet providentia, certè in hominibus gubernandis elucet; Ne longè abeas, te ipsum in exemplum accipe, quantam, quam jugem, quàm minutam hujus Patrisfamilias experiris providentiam. Percurre omnia Patrisfamilias officia, & videbis quàm omnia abundè Deus expleat. Considera è contra familiæ debita, & erubesce, quod tu nullum ex iis, ut te decet, impleas.

3. *Exiit primò mane conducere operarios.*

VIde vigilantiam Patrisfamilias primo mane exiit quærere conducereque operarios in vineam suam idque non semel, non unâ tantùm facit horâ sed singulis. Primo mane exiit conducere; quia nihil illi dulcius, quàm si à prima ætate ei ali-

quis

quis servire incipiat, unde tales operarios dicitur præ aliis conducere, quia illos suavibus & Spiritualibus solatiis demulsos ad se trahit; quod non facit aliis, sed eis vel potestativè imperat, ut vocatis, 3tia, 6ta & 9na hora fecit; vel etiam objurgativè, ut undecimâ horâ ultimis, Quid statis totâ die otiosi? Hinc ergo tu primùm gratulaberis tibi, si ab adolescentia timere Deum didicisti, gratiasque illi ages, qui te in benedictionibus suis prævenit; Sin minus, gratias illi ages, quia saltem in juventute vel virili ætate, præmii pe justi te induxit ad salutarem vineæ ejus curationem. Roga verò eum, ut postquam hora 11. venerit, eque fortè otiosum deprehenderit, alutari te judiciorum suorum timore, vitæque malè transactæ dolore oncutiat, compungat, sincereque d se convertat. Reflectes te deine super temetipsum, & cognosces, uod adeò sis piger in conducendis d Animæ tuæ vineam colendam opera-

perariis; qui sunt, Proposita bo
desideria sancta, crebræ aspirat
nes, orationes ardentes, mortifica
perpetua, jugis tui abnegatio, &
per omnia tot occasiones ad bon
quæ in religione, totâ die stant ot
sæ, exspectantes, ut ab aliquo cond
cantur, interim autem nullum fa
entes fructum, non suo quidem
eorum vitio, qui eas negligunt, qu
rum tu es primus.

4. Conducere operarios.

COnsidera te esse operarium D
operarium naturâ, emptione, co
ductione voluntariâ, addictione;
vide, quæ & quantâ hinc tibi i
cumbat necessitas Dei vineam cole
di. Operariorum virtutes sunt
delitas, fervor, perseverantia;
hæc libenter labores tuos expende

5. In vineam suam.

MUltiplex tibi cōcredita ad cole
dum vinea est, Ecclesia, Religi
Anima proximi, officium. Nobi
quælibet, & singulæ instar parad
Omnes colere debes, quia ad h
voca

ocatus es. Colere autem, extirpatione vitiorum, plantatione virtutum &c. Quâ ratione itaque tuam exequaris operationem, vide, & memento, tibi quoque dictum, Ecce posui te per gẽtes & regna, ut destruas &c.

6. Quid statis totâ die otiosi?

NEmini exprobrat Deus quod totâ nocte sit otiosus, sed quod die toti. Per Noctem, potes intelligere antiquam legem; per Diem, Gratiæ legem. Non igitur antiquos homines Deus arguebat, si perfectionem non sequebantur; sed Christianis, non potest non succensere, qui tantam salutem negligunt; quibus licet nox processerit, diesque appropinquarit, non tamen abjiciunt opera tenebrarum, nec arma induunt lucis. Potes etiam per noctem intelligere, Statum peccati, aut statum vitæ sæcularis, per diem statum gratiæ & vitæ Religiosæ. Non est ita molestum Deo, etiamsi sæculares mala agant, vitam non colant, stentque otiosi; sed si homo religiosus, qui professus

est religionem, sit otiosus, hoc i
gnè fert. Quis, ait, cæcus, nisi
vus meus? & quis surdus nisi ad
mitto nuntios meos? Extremè
cum esse oportet famulum lucis a
næ, si in tanta luce impingat. E
tremè surdum, qui vocem Dei
loquentis non audiat. Cogita a
non unus sis ex istis, cæcus & sur

7. *Quid statis totâ die otiosi?*

TOtâ die, verè otiosi stant, qui p
cant. Quid enim est otiosum e
nisi nihil agere? & quid est pecc
nisi otiari? O otia æternos labo
parturientia. Quod si adhuc to
diei otia, id est totius vitæ pecc
attendantur, quantus maledicti
cumulus consurget? Otium pec
tum est, quia etsi negotiosa res sit p
care, neque potest quisquam nisi
fatus in via iniquitatis incedere;
tamen otium merum, quia infructu
sum, quia pœnale, quia damnabi
O quoties ego totius vitæ meæ d
bus steti otiosus! in quibus ne un
aspiratio, nec unus oculorum nut
divi

ivino cessit obsequio! Quid faceres anima si redirent illi dies vitæ tuæ? ac nunc in iis, qui adhuc supersunt ec otiosos eos esse sine.

8. *Quid statis totâ die otiosi?*

OMnis ad bene agendum opportunitas vel necessitas, est dies; otioè stat totâ die, qui totam bene ageni negligit occasionem. Quis numeet quam multarum exercendarum irtutum, quàm multorum comparandorum meritorum occasiones, imò ecessitates, quotidie sese mihi obtruunt? quæ tamen à me negliguntur. Omnia beneficia, omnis fides, omnis pes, omnis charitas, omnia suppliia, omnes res, omnes actiones; tois ego, sunt dies in quibus laborare uctificareque possem, nisi otiosus sse & stare mallem. Tot Lectiones, ot orationes, tot examina, tot serones Spirituales, tot exempla boorum, tot peccantium supplicia, ot interni motus, tot de peccatis onfessiones, tot Sacræ Communioes, tot Regulæ, tot habitæ illustra-

 tiones;

tiones; tot compunctiones inte tot consolationes divinæ, quid aliud quàm dies? ad hoc unum f tes, ut sint usui, ut conducantu ego non otier.

9. Nemo nos conduxit.

NOn est relicta hæc excusatio t Signatum est super te lumen tûs Domini. Redemit te Deu Sanguine, & fecit te sibi regn Eduxit te de Ægypto, & introd te in terram lacte & melle fluent vocavit te in vineam, & quod just esset, tibi dare promisit. Elegit te posuit te, ut eas, & fructum affe fructusque tuus maneat; ipse Fi Dei descendit, ut te conduceret, redimeret, ut te doceret, non v bo solum, sed magis exemplo, ergo effugies si tantam negligis Sa tem?

10. Acceperunt singuli denarios.

TAm primi quàm ultimi, tam primâ horâ venerunt, & pon diei toleraverunt, tam ii qui nov mâ horâ undecimâ accesserunt,

tame

[tam]en nulli facta est injuria. Ut in-[tel]ligas, non in annis, sed in fervore [vir]tutem consistere. Primi sunt con-[du]cti; aliis quod justum esset dari, promissum; tertii sine ulla con-[ve]ntione ierunt & laboraverunt. [M]ultùm videlicet interest gratis [D]eo servire, & liberaliter cum ipso [ag]ere, quia quantò se quis liberalio-[re]m in eum præstiterit, tantò eum in liberaliorem experietur. Non gra-[ti]s servis Deo, si ut aliquid ab eo ac-[c]ipias, id facis. Gratis servi, & [i]psum accipies. Nemo scit utrum [a]more dignus sit, an odio. Cur non [s]cit? quia incertum est, utrum gra-[t]is serviat. serviat gratis, & sciet: [n]on enim odisse Deus eum potest, qui [g]ratis amat eum, & qui gratis servit.

II. Multi vocati, pauci electi.

HEu! è quibus sum! vocatum me scio, Electum nescio, inter multos [qu]am sum, inter paucos quis nostrum [e]rit? Multi speramus nos de paucis [f]uturos, quasi inter paucos futuri sint multi; Et quomodo quæso erunt pau-

ci, si inter eos multi sunt sunt futu
Sed nunquid non justus est Deus, a
temerarius, qui nos ideò creave
ut nos perdat, infernosque ex nob
repleat? Perditio tua ex te Israël,
medio tui; tantummodo ex me au
lium tuum, proinde quod multi v
cantur, Dei est, quod pauci elec
hominum est. Cur enim pauci elect
nisi quia pauci digni. Indignos en
Deus non recipit, sed eligit dign
se, Cur verò pauci digni, quia pau
dignè suâ vocatione ambulant. V
esse inter paucos, solicitè ambul
cum Deo tuo. Quid est solicite am-
bulare cum Deo? illud videlice
Ambula coram Deo, & esto perf
ctus; si coram Deo ambulas, non p
tes non solicitè ambulare; si solici
ambulas perfectus es; si perfectus
electus es; si tamen ad finem usq
perseveraveris.

DOMINICA
Sexagesimæ.

1. *Exiit qui seminat seminare semen suum.* Luc: 8.

Con

Onſidera, Chriſtum in Sanctiſſimo Sacramento eſſe velut Seminatorem quendam, linteo ſeu telâ præcinctum, & ſemen ferentem, exeuntemque ad ſeminandum ſemen ſuum in varios agros, & terram multiplicem. Chriſtus ergo eſt qui ſeminat. Olim Deus ſe vocabat, Ego ſum qui ſum, & qui eſt miſit me &c. nunc ſe vocat eum, qui ſeminat. Olim Deus erat in ſe tantum & ſibi, nunc ſe creaturis communicat, & tot ſunt ejus ſemina, quot rerum creatarum ſpecies. Ab initio quidem exiverat, ſeminare ſemen quaſi non ſuum; Creaturas enim quas creabat, in ſuis puris naturæ viribus relinquebat; poſtea expertus earum, videns non poſſe eas hoc modo ſalvari, exiit ſeminare ſemen proprium, id eſt, dona & virtutes ſupernaturales, cæleſtes, ac Divinas. Et egreſſus quidem ejus olim fuit multiplex & varius; ut in nube, in columna, in fulgure & tonitru; poſtmodum verò ex utero Sanctiſſimæ Virginis; tum in Specie & for-

ma ſervi, tum in forma Regis m
ſueti; ſimiliter in ſpecie captivi
horto, in ſpecie Stulti ab Herode
ſpecie damnati à Pilato, in ſpecie
luſi crudeliterque tractati, ad po
lum cum corona Spinea, Sceptro
purpura. Tandem in forma glor
de Sepulchro, & in ſpecie vict
ad cælum. Sed nunc maxime pr
in Specie Seminatoris de Cælo in
ram, ſub velo & tela Panis; quâ ſ
cie tectus, exit ſeminare ſemen ſu
venitque ad corda hominum. Tu
cogita, quæ & qualia ſeminet iſte
minator ſemina. Ac primum quid
ipſe eſt qui ſeminat, & ipſe qui
minatur; ſeu ipſum ſemen. Ete
ſic ſe ſpargit, ſicque ſuo corpore
tum implet mundum, ſicut qui
minat, implet agrum. Et quid
adeò ſparſum, quod nõ ſolum Re
Urbes, templa, altaria, ſed & viſ
replet hominum. Verè ergo C
ſtus Semen, quia ipſe Chriſtus C
ſti eſt Semen, & ad hoc ſpargit
naſcatur. Chriſtus verè ſemen C

I

ſti; quia quoties Sacramentum conficitur; toties Chriſtus naſcitur, & Hypoſtatica Unio innovatur. Tu vide qualis ſis terra, an naſcatur in te Chriſtus? quomodo creſcat, quẽ & quantum fructum faciat. Væ tibi ſi toties in te ſeminatus Chriſtus, nunquam in Culmum, nunquam in ſpicam aſſurgat; nec adferat fructum non ſolum centeſimum, ſed nec trigeſimum, An non te ſterilem, petroſam, ſpinoſam, perviam eſſe oportet terram? Certe terra bibens ſæpè ſuper ſe venientem imbrem, & nullum fructum proferens, maledictioni proxima eſt. Non immeritò igitur quidam moriens clamavit; Væ noſtris confeſſionibus, & Væ Communionibus; quia non ita ſunt prout fieri deberent, non eo ſunt Spiritu, fervore, intentione, profectu, fructu, ſed aridè, temerè, ex uſu, imparatæ, & poſt Chriſtum ſuſceptum ſtatim ad nugas effuſione. O Jesu! nunquam te manducem in judicium, ſed in præmium mihi!

2. Exiit qui seminat Seminare.

OLim Deus creabat, nunc verò
minat. Creabat olim naturam,
multiplicaretur super terram, sen
nat gratiam, ut augeantur increm
ta justitiæ nostræ cælo. Quantò er
nobilior est naturâ Gratiâ, tantò n
men Seminatoris nomine Creator
Quid enim prodest agrum cult
esse, nisi eum quoque consever
Per agrum hominis pigri transivi,
Sapiens, & ecce totum operuera
urticæ. Agedum, teipsum dispic
& sicuti es creatus, vide an etiam
seminatus, quove in te proventu su
crescat istud semen! num centesim
sexagesimo, trigesimo, an verò mill
simo? Semen Baptismus est, Sem
Confirmatio, Semen alia Sacrame
ta, Semen vota, Semen vitæ Instit
tum, Semen multiplices gratiæ, S
men Fides, Spes, Charitas, Sem
Verbum Dei, Semen doctrina, S
men ipsa ratio. Vide quanta semin
at quanta seges, quanta spes messi
Videte ne in vacuum gratiam D
acci

ccipiatis, ait Apostolus; ne videlicet in vacuum seminetis.

3. Exiit qui seminat seminare semen suum.

QUi seminat, Deus Pater est. Is exiit seminare semen suum, JESUM videlicet Filium suum; juxta illud, Nisi Dominus reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus. Satus igitur Christus in mundo est, dum de Virginis prodiit vtero; Cecidit secus viam in stabulum, posthæc in petrosa Judæorum lapidea corda, à quibus aliquoties pæne est lapidatus, tum inter Spinas Cruciatuum, Flagellorum, Coronæ spineæ, Clavorum Crucis, tandem in terram bonam Sepulchri, de quo prodiens, omnia traxit ad se ipsum juxta suam prædictionem: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, cum autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Tu hic adnota solum ortum progressumque seminis Domini. Quomodo à via ad petram, hinc ad spinas, tandem ad selectam terram per-

venit. Tu quoque ſemen & ger Dei es, nunquam verò ſecus via nunquam in petroſa incidere, nu quam Spinas ſentire, ſed ſemper molli terra eſſe cupis. Neſcis aut dictum à Deo; Dilecti mei ambu verunt vias difficiles & unus eoru de ſe ad Deum ait, Propter ver labiorum tuorum, ego ſuſtinui v duras. Sic itaque & te oportet cere, ſi fructum vis multum afferr

4. *Exiit qui ſeminat ſeminare.*

ET tu Seminator es. Bonum Se natorem te eſſe oportet. Qui ſe nat exit in agrum, Semen ipſe m portat, ſeminat totum agrum, ſemi bono ſelectoq; ſemine. Non tibi tis eſt, ſi intus in cubiculo pro al rum ſalute ores: prodi foras ad agr fer ſemen manu, hoc eſt, quod doc fac ipſe; ſemina agrum totum, n uni tantum loco prodeſſe velis, n loquendo tantùm placentia, non c ſolis tantùm agens amicis aut c Divitibus, negligendo verò pau res. Selectum ſemen ſemina, qu

ve

verè Divinum ſit, de cælo hauſtum, non peregrinum, non quod oleat ſæcularismum, non ut laudes captentur, non ut fallatur tempus, non ut tædium vitetur, non ut lucrum temporale paretur, ſed ut ſuccreſcat Chriſtus.

5. *Exiit qui ſeminat ſeminare.*

MEritò, quid enim agat aliud Seminator? quàm ſeminet. At quot ſunt qui cum Seminatores non ſint officio, meſſores tamen volunt eſſe fructuum? Heus! metitis, ubi non ſeminaſtis, in alienos labores intraſtis, falcem mittitis in meſſem alienam! Quo jure? deſidiæ: quo fructu? Perditionis. Sed ecce, & ego in labores Patrum meorum introivi, fructus induſtriæ ipſorum meto, de illis vivo, propter illos honorem laudemque doctrinæ & virtutis habeo: an verò ſimilia ſemino? quæ creſcant in poſteris, an potius contra legem, diverſo ſemine ab illis agrum conſero? væ mihi ſi taliter ago! Adulterinæ plantationes non dabunt radices

dicès altas, fructuosas, aut diu ma
suras, sed omnis plantatio, quam n
plantaverit Pater meus, eradicabit
& arescet, & in ignem mittetur;
ardebit.

6. Exiit qui seminat.

UTique de die, utique de mane,
tique spe proventûs & increme
ti, non à se sed à Deo futuri. Inim
cus homo est, qui noctu seminat n
cte, dum dormirent homines. At
Paulus non erubescit Evangeliu
Et Christus monet; Operamini du
lucem habetis, alioquin vanum e
vobis ante lucem surgere. Siquide
semita justorum quasi lux, & qui b
ne agit ad lucem prodit. Mane a
tem seminat; quia etsi nullum te
pus opportunum non sit semination
pœnitentiæ, & vitæ emendation
bonum tamen est viro, si portave
jugum Domini ab adolescentia. Po
rò sibi nihil tribuat, sed cum omn
fecerit, dicat, Servus inutilis sum.
si quod debui facere feci, servus i
utilis tamen. Neque qui plantat

neque

neque qui rigat aliquid eſt, ſed qui dat incrementum Deus.

7. Exiit qui ſeminat, ſeminare.

NOn exiit otiari, ſed ſeminare; non lapides, ſed ſemina. Ad hoc, non exiit metere, ſed ſeminare. Non eſt hic otii locus, nec lapides in terra creſcunt, quia vivi non ſunt. Cæleſtis hoc eſt agri proprium, ut ibi ſint lapides vivi & creſcentes: nec eſt hic tempus meſſis, ſed tempore ſuo metemus, ait Apoſtolus. Denique ſemen eſt quod ſeminare exiiſti, non matura ſeges; creſcere debes non meti. Viatores quippe ſumus non comprehenſores, in via non in termino manemus. Nunquam in hac vita proficere potes, quin melior adhuc eſſe poſſis & Sanctior. Quidquid facis hic boni, ſemen adhuc alterius boni eſt, nec ſolùm meriti præmiivé futuri, ſed & præſentis gratiæ meritorumque futurorum & ſequentium. Tantò enim te magis ad gratiam charitatemq; diſponis, quantò ampliùs in Charitate & gratia laboras;

boras; Labora itaque multum ut cr
scas multum. Et agnosce Dei lib
ralitatem, qui in hac vita termin
tibi non præfixit, sed quamdiu vi
tamdiu crescis, tamdiu seminaris.
Cælo jam semen non est, sed qui
quid agitur, metitur; hic hîc omn
seminantur in spem messis cælest
Vis multùm illic metere, hîc mult
semina. Quid putas, quàm copios
æterna messis requirat seminatione
qui enim seminat de benedictionib
& metet. Vis scire compendium
Deus est ager tuus, semen quoq
tuum Deus est, Deum igitur in D
semina, hoc est omnia in Dei glo
am facito, & semen tuum, mess
in æternum duraturam habebit.
Deus finem habet, & ager tuus a
messis tua finem habebit. Dei tu C
nus es, Deus semen tuum; Exi i
tur qui seminas, qui in statu sen
nandi se, & semina semen tuum. N
li teipsum & in teipso seminare, q
non cresces; non enim tu es tu
semen, nec tu tibi sufficis; non en

pote

potes ad staturam addere cubitum
num, multò itaque minùs poteris
ugere messem in omnem æternita-
em suffecturam.

8. Et dum seminat, aliud cecidit.

BOnitatem Dei considera. Semper
quærit omnesque vult salvos fieri,
d agnitionemque veritatis perveni-
e. Spargit enim sua semina copiosa,
mnibus, semper, & multipliciter;
luit super justos & injustos, illos,
t argumentum sumant in justitia,
stos ut crescere incipiant. Facit so-
em suum oriri super bonos & ma-
os; tum, ut illi videant, multùm se
dhuc à perfecto abesse die, tum ut
i tenebras suas execrati ad diem
llum currant, & abjectis operibus
enebrarum, induantur arma lucis.
At quis est ager, vel quæ agri portio,
quæ possit conqueri super eum di-
cens; Ros cæli non cecidit super
me, non dabo fructum? Aut quis
est, qui dicere possit, Luce lucente-
Sol non illustrat me, videre non
possum? O Domine, Tu mittis cry-
stallum

ſtallum tuam, ſicut buccellas, & no
eſt qui ſe abſcondat à calore tuo, ni
qui mordicus amat frigus ſuum. D
mihi, ut ſim gratus gratiæ tuæ, utqu
reſpondeam ei ſemper, potiſſimur
verò ne permittas me gratiam tuar
ultimam excitantem, ſeu remotam
ſeu propinquam, negligere, ſed ut o
mnino benè illâ utar, & non deſin
ſaluti meæ, ſicut tu Pater benigniſſi
me nunquã dees mihi.

9. Aliud cecidit ſecus viam.

BOnum ſemen cecidit à bona manu
ſed in malum locum ſecus vian
omnibus perviam. Et quis unquan
copioſam meſſem collegit juxta vi
am? Secus viam; quid eſt hoc aliud
quam cor vagum, curioſum, nugis di
ſtractum, Dei, & ſui oblitum, in e
quid ſuccreſcet boni? A Creaturi
ſolatia emendicat, quomodo gloriar
quæ à ſolo Deo eſt, ſperabit, & ſola
tium? Pervium eſt volucribus Har
piis, & quomodo à mundiſſimis in
coletur columbis? Denique id eſt
cui dicitur, Incurvare ut tranſea

mus,

us, hoc eſt, effunde te ad exter-
, inclinare ad terram. O cor, ſi
rſum eſſes erectum & cæleſtia ſpe-
ares, Dæmonibus pervium non
es! Non itaque Cor meum ſis ſe-
s viam, ſed fuge terrena. Secus
am publici ſunt peccatores qui
ndalo ſunt aliis, juxta illud. In
a quà ambulabam, peccatores ab-
nderunt laqueum mihi, objece-
nt videlicet mihi offendiculum e-
mpli ſui peſſimi. Secus viam Tha-
ar ſedens, Judam decepit. Pecca-
m inſtar eſt fæminæ tabernariæ, ſe-
s viam dulciaria divendentis, &
ueris pecuniam emungentis; alio-
in quis incideret in illud, ſi in via
n eſſet? Commune eſt, venale eſt,
nes emunt, non tu ſolus peccas,
n eſt dedecus, difficilè eſt ab his
vere. Nonne hoc eſt ſecus viam?
Anima mea attende tibi, & in via
ccatorum non conſiſte.

10. Aliud inter Spinas.

Or paſſionibus vivis ſcatens, cor
ſpinoſum eſt; quod à nemine tan-
gi ſine

gi sine læsione & punctura potest, i
ipsum sibi carnificina est perpetu
Vide itaque quibus tu frequenti
perturberis passionibus, Irâne, an i
vidiâ, an murmurandi, derahend
judicandique alios libidine?

11. *Aliud cecidit supra petram.*

COr durum quod nec Deum time
nec homines reveretur: durur
quia duratum tepiditate, quod lic
gravi percussionis & motionis D
vinæ malleo commoveatur, mox t
men sua ferrea voluntate, in solitu
sibi trahitur teporem. Vide an n
de te fabula hæc narretur. O C
meum quid te tepidius, quid inco
stantius? Credis quidem & tu, f
ves, & aliquando proponis, sed qu
ad usque occasio se non offert del
quendi.

12. *Aliud in terram bonam.*

BOna terra est, quia etsi non sit p
via, nec tamen est invia, etsi n
petrosa, non tamen arenosa; etsi n
spinosa, septa tamen nec rapinæ
ponitur, ut secus viam, nec defic
ut pe

t petrofa, nec fuffocat, ut fpinofa, ed recipit, condit, fovet, & fructum ert centuplum. Euge fi tu terra bona es, ubi fructus, ubi cèntuplum? uanta femina recepifti, & quantuli unt fructus? Ergo tu tellus bona? onne magis maledictioni proxima? entuplum fert fructum quisquis de ie in diem, de virtute in virtutem roficit, qui feipfo quotidie vult fieri elior, qui non fibi fed Deo laborat, ui omnia in Charitate facit, qui on fua tantum falute contentus, etin alios quosquos poteft, ad Deum ahit, qui aufert fcandala de regno, uem mala pati & bona agere delecat, qui libenter impenditur & fuerimpenditur pro animabus proxiorum. Denique qui fe in Charitaperficit centuplum parit.

13. Aliud in terram bonam.

Ecidifti ô femen in bonam quidem Ecclefiæ bonamq; Religionis terrm, facisnè verò fructum Centuum? quam bona terra Ecclefia, quã na Religio, quàm culta, quàm

mun-

munda, quam pinguis, Sole pluvi
oportunis, quàm ſedulis curata a
colis quantis fæcunda exemplis !
ge quàm te ſterile ſemen eſſe opp
tet, qui in hoc tam bono agro null
fructum facis ?

14. Qui habet aures audiendi.

HÆc dicens Clamabat Jesus. C
ma & tu, clama tibi, clama al
En tam copioſa ſeminatione tam b
ni ſeminis, unus tantùm ager fe
fructum æternæ Salutis. Ergonè ur
tantùm ſalvabitur ? vix non au
dicere, Unus in comparatione tan
multitudinis damnandæ ! At cu
hæc culpa ? non Seminatoris, non
minis ; ſed quia terra alia ſecus
am, alia petroſa, alia ſpinoſa. Q
aures habet audiendi audiat. At t
ra ſecus viam non audit, quia ſtre
tus prætereuntium impedit. Petr
ſa non audit, quia petroſa eſt. N
audit Spinoſa, quia ſepivit aures ſu
Spinis, & quia ſuffocat ſemen D
quanto magis aures ſuas. Non itaq
aures habet audiendi, quomodo e
go au-

o audiet? quodsi non audiet, quomodo credet? si non credet, quomodo salvabitur? qui enim non crediderit condemnabitur. Exhorresce igitur quod pauci adeò salvabuntur, . quidem culpâ suâ: curaque, ut inter paucos hos inveniri merearis.

DOMINICA
Quinquagesimæ.

1. *Quid tibi vis faciam.* Luc: 18.

QUære & tu ex Christo recepto, vel recipiendo in Venerabili Sacramento, Quid tibi vis faciam Domine Jesu? Respice enim ad um qui stat, cæcum clamantem, duci præcipit, quæritque ex illo, Quid tibi vis faciam? hoc est; Ecce o paratus omnia facere, potens omnia facere, quid vis tibi faciam? nisi homo cæcior esses cæco isto, obpescere deberes omnibus stuporis, ad tantam Jesu dignationem, faitatem, promptitudinem. Sed ne alienis verseris; quandocunque us in Venerabili Sacramento ad

tè ve-

te venit, quid aliud dicit, qua
Quid tibi vis faciam? Poſtula à
& dabo tibi petitiones cordis t
pete quæ tibi putas maximè nece
ria, pete quæcunque ſcis me dign
& illa tibi faciam poſtula à me, &
bo tibi; imò ne pete quidem, ſed t
tùm dic, & faciam; Petis ut d
tibi merita mea? faciam; petis
tibi dem virtutes meas? faciam: p
tis ut te Sanctum, ut Servum meu
ut te caſtum, humilem, obediente
patientem, modeſtum, fervente
zeloſum, prudentem, mortificatur
animâ & corporè ſanum, in bo
perſeverantem, perfectum efficiar
faciam, denique quid tibi vis, toti
faciam. Ut autem petere aude
Ecce feci tibi gratiam ſuper omn
gratiam, ad te veni; Dic igit
Quid adhuc tibi vis faciam? Scieba
velle te venire ad me, non pote
venire, ego veni ad te, quia ſum
maneo apud te, ſi parum tibi vid
tur, quid præterea vis faciam tib
Feci te, redemi te, vocavi te; fe
te ta-

talem, vocavi te huc, servavi ha-
ǀenus, in statu tali, tecum insuper
ǀaneo & conversor, te meipso cibo,
ǀsco & nutrio, quid vis adhuc tibi
ǀciam? Scio quia pauper es, cæcus
intellectu, malitiosus in volunta-
ǀ, obliviosus Dei beneficiorum ju-
ǀciorumque meorum, immortifica-
ǀs, inconstans, undique mille peri-
ǀlis hostibusque tam animæ quam
ǀrporis expositus, veni ad te ut in-
ǀces mihi, Quid tibi vis faciam?
ǀpe me offendis, pœnitentiam serò
ǀt nunquam agis, in Servitio meo
ǀout debes & ut recepisti, non pro-
ǀis, pœnâ & eâ multiplici es dignus,
usque huc pepercit tibi oculus
ǀus, quia pretiosa fuit in conspectu
ǀo anima tua. Tu jam ipse judica
ǀterme & te, quid tibi vis faciam?
ǀrcurre omnia quæ in terra, supra
ǀrram, intra terram, in aqua aëre,
ǀlo, super cælos, omnia corporalia,
ǀturalia, omnia feci propter te, o-
ǀia tuis obsequiis addixi, ipse pro-
ǀer te ego homo factus sum, triginta

tribus annis in terris vixi, labo feci mira, pertuli dira, omnia tib ctus sum, etiam cibus, quid præt vis tibi faciam? quandoquide omnia alia, & meipsum propie feci, & usibus tuis servire feci Domine ad hæc omnia quæ fec adde unum: ut videam! quid e prodest te fecisse, si ego ea nor deo? Videam mi Jesu ea quæ f sti mihi, & quæ pro me. Vid quis tu, qui fecisti, quis ego, cu cisti, quid debeam tibi pro his on bus quæ fecisti mihi.

2. Ecce ascendimus.

PRædicit Christus Discipulis su Passionem, ut eos erudiat, quo ad delicias sint vocati, sed ad C cem. 2. Ut se sponte suâ mortem petere ostenderet, quàm multò a & prævidit & prædixit, qui e præscire potuit, utique & evit potuit. 3. Ut animos eorum præ raret, ne illis novum esset & i lens videre eum morientem, su quem hæc ventura dudum ante

gn

oviſſent. Et diſcipulis quidem
eo; At cur prædicit & nobis?
ı ominantis præſagientisque vox
a eſt tanquam malum aliquod ſibi
c tempore à nobis imminere præ-
leret & perſentiſceret? O ad quã
ıltos hodie Chriſtus tanquam ad
eroſolymam aliquam aſcendit, à
ibus, gentibus tradetur & illude-
'! An timentis hæc vox eſt? ve-
timet Chriſtus, ne his temporibus
jora à fidelibus patiatur, quam
m à Judæis, & non immeritò!
ıot enim ſunt, qui hos dies effrenes,
ınibus devoverunt nequitiis? quis
que dubitet Chriſtum ab his tra-
ndum eſſe gentibus, offendendum
lelicet peccatis, & quidem tali-
, qualia nec inter gentes experi-
! Nonne bone JESU illuderis,
nne flagellaberis hodie, & ſequen-
us his diebus, & quidem à Fide-
us à Chriſtianis tuis! ô quanta
die proditionum, flagellationum,
ſionum, ſputorum plauſtra in
riſtum congerentur! ô quantâ ani-

marum pericula! quam millena I
centiæ, Sanctimoniæ Gratiæ Di
Pudoris, Virginitatis, omnis c
que virtutis, multis imminent
fragia! Et tu hodie non illu
Christe? An admirantis & præ
pore hærentis vox est ista? Dul
videlicet Christus & vix credit,
his diebus super se ventura Hier
lymis, scilicet, inter Christiano
tali loco, corde, urbe, in qua
transacto anno, cultus, amatus, h
ratus fuit, in qua ei dum nupe
festo corporis sui processionalite
biret illam, tanti plausus, tanti
ptus, tanti ornatus, tanti hon
sunt exhibiti. Verè mirum est,
Jesu, sic nos repente contra te ar
ri, & verendum tamen est, ne à n
tradaris, ne à nobis illudaris;
enim nunc non audet omnia?
non omnia sibi permittit? quis p
hibet? habet etiam insania laud
plausum, spectaculum, admira
nem, Universitas iniquitatis tem
illud est. Inferorum recreatio,

gu

rum insania, Spatium ad exercen-
patientiam Dei, ab hominibus
fixum, Angelorum infernalis cru-
ius, & infernus ipse, mors virtu-
, Conjuratio hominum contra
istum, Apostasia totius mundi à
, seditio Generalis, Idololatria
lica, licita, laudata, vera tragæ-
qua Christi, omnes cruciatus non
repræsentantur quam innovan-
: Æmulatio scelerum, quidnam
viorem Deo injuriam contume-
ique faciat, quid certiorem mun-
causet ruinam? An minantis est
? quia videlicet minatur Chri-
pœnam Christianis talem, quæ
super omnem pœnam peccandi
cet licentiam. Ita enim homines
diebus peccant, planè ac si Deus
iendi haberet impotentiam, vel
Deus totius anni peccata diffi-
ans demum hac peccatorũ per-
ione, mundum punire vellet?
quenter sanè Deus peccata punit
catis: ut videlicet ira Dei &
na super omnes pariter effunda-

tur. An vox iſta commiſeratio
exigentis eſt? ut videlicet pii
mines videntes hiſce temporib
tam graviter Chriſtum lædi, iter
que quaſi à peccatoribus crucifi
ei non ſecus atq; die paraſceves
cere ſolent, cōpatiantur. An c
ſam aſſignantis vox eſt? quâ vi
licet fiat, quod tantam peccandi
centiam Deus non ſubitò puni
Obſtare nimirum Chriſti Paſſion
quæ eum in finem tum ab Eccl
commemoratur. An vox iſta reme
um contra præſentium temporum
centiam oſtendentis eſt? ad Chri
videlicet patientis recurrendi m
moriam? Tuum itaque eſt hæc om
intelligere, cavere, deprecari, ir
punire, nunc præcipuè conari D
quam ferventiſſimè, accuratiſſi
inſtantiſſimè ſervire, adeſſe, place
poſtquam offenditur negligiturqu
plurimis, poſtquam quilibet pecc
peccat enim eo tempore, quo mu
dus totus peccat, Deumque exaſp
rat & offendit, & quantum in ſe e

ndit se de numero esse eorum, cùm mundo, carne, inferno, pec-, in Dei offensionem conspirâ-t conjurâruntque.

3. *Consummabuntur omnia.*

Ondum scilicet satis Christus à Judæis est passus; adhucnè à te, ô ristiane homo, Passio ejus conmari debet? qui tradis illum tibus, repugnas illi, videlicet versis animi tui moribus ac moti-. Barabbæ enim gentes, immortitæ sunt passiones in Anima tua, e rationi repugnant, solaque sensitate ducuntur; his quasi Rex esidet Amor proprius, cujus est oprium, Deo refragari, & æmulari nipotentem, non enim novit, nec se vult Dominum. Itaque tunc no gentibus tradit Jesum, quando nia facit propter se, utque sibi alintulum molestus non sit, à Deo edit. Vide ergo ne Jesum genti- tradas, sed avertere ab amore convertere autem ad amorem Jensuper quoque dole & defle, quod

toties illum tradideris.

4. *Cæcus quidam sedebat secus viam*

VIde, ne in te hoc de cæco se
viam Hiericho sedente, quad
Quid enim stultus amator sæculi
rerum præsentium captator aliud
git, nisi quasi Cæcus secus viam H
richo sedet? infelix, quia secus v
Hiericho; infelicissimus quia se
bat. Extremum autem miseriæ
primitur ejusdem, quia mendicus
dicitur. Verè enim quisquis sæcul
amat, quisquis solatiis delectatur t
renis, cæcus est, hæc, quæ amat, n
cernens peritura esse: cæcus est, h
quæ à mundo maximo pretio emit,
que ingenti summâ solvit; cæcus
quia non videt sibi falsa pro ve
mala pro bonis, transeuntia pro n
nentibus obtrudi, & non tam da
quam mutuari tantum. Mendi
autem est, quia mavult à mundo h
obtinere precariò, quæ à Deo g
tis habere potuisset, si illum a
disset dicentem; Quærite prim
regnum Dei & justitiam ejus, & h
omn

nnia adjicientur vobis. O Anima
ea, & tu aliquando sic cæca, sic
endicans sedebas secus viam infeli-
ssimi hujus mundi, Hiericho ama-
as, quid misera famem fers, cum sci-
in domo Patris tui mercenarios
nibus abundare? da nunc gloriam
eo quod Jesus Nazaræus hac tran-
ens jusserit te adduci ad se, & tibi
ixerit, Respice, vidisti namque con-
stim, & secuta es ipsum, dico tibi,
sque modo sedisses secus viam istã
endicans, & cupiens de siliquis
orcorum saturare ventrem tuum,
ec tibi quisquam petenti dedisset
is, quin etsi forte clamare post Je-
sum cœpisses invocans misericordi-
n, increpasset te turba præteriens,
t taceres. Proinde benedic Anima
ea Domino, & noli oblivisci omnes
tributiones ejus, qui redemit de
teritu vitam tuam:

5. *Quid tibi vis faciam?*

Ultis mihi opus est, quæ facias
Domine Jesu mihi; sed præ cæ-
ris illud, Ut videam, quibus mo-

dis hoc Sacrosancto ingruentis Quadragesimæ jejunio tibi placere, atque vitæ Sanctitate ac morum integritate & emendatione proficere possim. Ut videam quanta tu Dominus meus fecisti sustinuistique pro me. Ut videam quibus rationibus, quo zelo, quâ prudentiâ animas Fratrum meorum, Servorum autem tuorum juvare, ad te perducere, inque servitio tuo firmare possim. Ut videam non minùs corpore mihi nunc esse jejunandum, abstinendo videlicet cibis vetitis, quàm animâ, mortificando ejus passiones, eamque à terrenis avocando ad Te solum convertendo. Ut videam, atendum esse nunc parcius somnis, jocis, cibis & potibus, linguam esse frenandam, Orationi plus dandum, plus vacandum Lectioni,; habenda esse pia colloquia, ab otiosis conversationibus abstinendum, mysteria divinissimæ tuæ passionis accuratè & fructuosè esse recolenda, Carnem flagellis atterendam, actus humiliationis frequen

[t]entandos &c. Ut videam quid huc deſit mihi, quàm longè ſim à [te], quàm ſim nihil ipſe in me. Ut [vi]deam, quid ſit ſupra me, quid infra [m]e, quid pro me, quid ante me, quid [po]ſt me, quid circa me, quæ aliena, [qu]æ mea, quæ tua! Ut videam quis [tu], & quis ego? Ut videam, quo tu [di]gnus? & quid ego debeam tibi? [Ut] videam quàm ſis admirabilis in [A]ngelis, quàm amabilis in homini[b]us, quàm terribilis in reprobis? [H]æc videam Domine, ut confeſtim [li]quar te, magnificans te, & laudans [n]omen tuum in ſempiternum.

DOMINICA I.

Quadrageſimæ.

Non in ſolo Pane vivit homo. Matt: 4.

VErè non in ſolo pane, non ſolùm ſecundum panem ſeu panis ſpe[ci]em, Corpus Domini ſumendum eſt, [ſe]d ſecundum Spiritum, qui enim [in]dignè manducat, judiciũ ſibi man[du]cat, non dijudicans illud. Væ mi[hi] ſi in ſolo pane vivere ſoleo! cum

ſpiritus ſit qui vivificat, caro a-
tem non prodeſt quicquam. N
igitur in ſolo pane Sanctiſſimi Sac
menti vivit homo; id eſt, non ta
tùm contentus eſſe debet ſe Sac
tiſſimam Euchariſtiam ſumpſiſſe, ſ
etiam conari, bene ſumpſiſſe. Be
autem ſumit qui cum fide, cum de
derio, cum charitate, cum humilit
te, cum fiducia ſumit; qui ſumit cu
carnis, afflictione, cum profectûs d
ſiderio, non autem ex uſu, qui agn
ſcit ſe nihil eſſe, ſe ſibi nihil prodeſ
omnia ex Deo habere, omnia ex De
poſſe; hoc ſiquidem non ex ſolo p
ne vivere eſt, ſed ex omni zelo De
gladio quocunque ancipiti, pen
trabiliori, pertingente usque ad d
viſionem animæ, compagum qu
que & medullarum. Et quid aute
cauſæ quod ego toties Corpus Chr
ſti ſumens, vix tamen vivam? Non
ne quia in ſolo pane vivere volo, nc
verò in omni Dei verbo? verbo i
quam Divinæ inſpirationis, corre
ptionis, mei ipſius dijudicationi
exhor-

xhortationis & inſpectionis, Dei co-
gnitionis, Spiritûs accenſionis, fer-
voris. Audi anima mea verba iſta,
& fac ea ut vivas.

2. In manibus tollent te.

DIc Anima mea Chriſto: Eſtne poſ-
ſibile Domine Jesu, quod homi-
nes in manibus tollent te, imò tol-
lent te linguis, ore, viſceribus, id-
que homines non Angeli, quaſi non
ſolis Angelis mandatum ſit de te Do-
mine, ſed & hominibus. Porrò quo-
ties & ego fero Te mi Jesu, & ore &
manu; quàm verò dignè! Tu quidē
noſti imperfectum meum, ſed tamen
& ego conſcius mihi ſum, quia indi-
gnè, quia indevotè, tepidè & incon-
ſideratè, ac: quod pejus eſt, ſine ullo
emendationis conatu te fero. Da
mihi mi Jesu, ut aliquando reſipiſcā;
ut dignè te tractem ac recipiam fi-
deliter, audacter, humiliter, fide vi-
dicet, deſiderio, humilitate, meque
ſemper magis magisq; emendem.

3. Ductus eſt IESUS in deſertum.

DUctus eſt; Credo à Spiritu San-
cto,

cto, à Spiritu Amoris, quis eni eum in tantum cordis & animæ me desertum inducere potuisset, nisi Spiritus ille Amorosissimus, eum ve duxisset, vel etiam expulisset. Gra tiæ tibi ô Divine Spiritus, qui ve coáctum Jesum ad corda nostra du cis, & gemitibus inenarrabilibus cla mas in nobis proque nobis ducis eu ad deserta nostra; verè deserta, de solata, solitaria, ejus gratiâ, ejus me ritis, ejus virtutibus, ejus instituti indigna. Tu attende anima mea, n diu in te desertum habeat Jesus; se vive cum illo, age cum illo, si tu ips semper non potes, cor saltem illi so cium jugiter relinque, quo, & cum quo, seoblectet; Pasce illum, ne esu rire cogatur aut tentari pane lapi deo; pasce profectu, pasce fervore pasce lacrymis, pasce humilitate, pa tientiâ, resignatione, hi sunt cibi, qui bus libens vescitur, quibus desertum suum solatur, & quorum causa puta delicias esse, cum hominibus conver sari.

4. *Ductus est IESUS à Spiritu.*

OLim dixerat per Spiritum, Fili, accedens ad Servitutem Dei, sta in timore & tremore, & præpara animam tuam ad tentationem, nunc ipso exemplo id ostendit; ducitur enim in desertum à Spiritu, ut tentaretur à Diabolo, post jejunium bene longum. Vocatus es ad vitam desertumque Spirituale, & ad obligationem sanctitatis, sta in timore, desertum id est, non frequentia; nulla hic deliciarum, carnis, oblectationum, sensualitatum, propriæ voluntatis judiciive frequentia, vacua sunt hic ab his omnia & deserta, horrida verò omnia, durâ asperâ carnis passionumque mortificatione, silentii solitudine, paupertatis defectu, disciplinæ rigore, obedientiæ magisterio. Una hic est consolatio quia à Spiritu S. ductus es, ut tenteris à diabolo; illo te solare, isthæc autem tolera, neque hoc cogita quomodo non tenteris, sed quomodo non supereris; & resolve te animo prorsus religioso & gene-

gene-

generoso, ut a Spiritu S. duci te si n
tentari quoque sinas, vinci verò n
sinas, nam sine tentatione vivere n
potes, tentationem verò vincere p
tes: non itaque in hac vita tentati
nes refuge, nec eas molestas puta,
ad eas ferendas ad victoriam & to
rantiam earum, armare.

5. Ut tentaretur à diabolo.

CHristus à Diabolo, Deus è D
mone. Quis? quantus? à quo?
quanto tentatur, gestatur, assum
tur, collocatur? quid amplius? e
am ad casum, ad adorationem *sui*,
petitionem à se regnorum mundi i
citatur. Magna equidem hæc hum
litas, mansuetudo, patientia, p
dentia magna. En arma contra H
pocritas, contra falsos, contra fict
fratres, quos tolerare nec scis, n
potes, quos tamen tolerare deb
quia in Communi vita sine hoc n
vivitur: ac non solum debes, sed
tiam humiliter debes, mansuetè, p
tienter, prudenter; toleravit Jud
Christus, tentatus à Diabolo est; i
osci

ſculo eum prodidit, hic tentando, de loco in locum geſtavit. An tui fratres quos ſubdolos putas tibi, usq; eò pervenerunt? Non puto; & eſto; quomodo ſuos toleravit Chriſtus, eo quoquè modo, ſuos tolerare debet Chriſtianus.

6. Et cum jejunaſſet.

CHriſti jejunium Gulæ remedium eſt, ſimulque ſobrietatis, & abſtinentiæ exemplum. Jejunavit Chriſtus, quia tu voracitate, ſenſualitate, voluptateque ciborum, ſaporum, condimentorumque delectu frequenter delinquis. Jejunavit Chriſtus, ut daret gulæ tuæ medicinam; doceretque te pugnare, mereri victoriam, Ideò iſtud Chriſti jejunium Eccleſia & veneratur & imitatur. Ideoq; tu, filius ſi es Eccleſiæ, obedi Matri, ſequere magiſtrum & ſcito te adhuc valde in Spirituali pugna novitium, ſi gulâ ſuperaris, ſcitoque te diabolo contemptum eſſe, qui Spiritualibus armis tecum pugnare non dignatur, cum ſciat te carnali illo vitio, tam

facilè,

facilè, tam ſæpe poſſe ſuperari. Qu
re non ſolùm libenter jejuna, ſe
etiam cautè comede, nec ſenſualite
nec avidè, nec ad ſatietatem. Et hæ
faciens, jejunium Chriſti aliquantu
non tantùm carnis tuæ jejunio ex
primere debes, ſed multò magis men
tis jejunio: fruſtra enim caro abſti
net à cibis, ſi Anima vitiis diſtendi
tur. Collige igitur mentem vagam
immortificatam, tepidam, curioſam
ad vana aſpirantem, ſui oblitam, o
blitam & Dei; eamque mortifica
tioni, orationi, fervori, aliisque Spi
ritualibus exercitiis applica, tant
ampliùs, quantò hoc tempus & ſan
ctius eſt & aptius, ut verè cum Ma
tre Eccleſia canere Deo poſſis Qu
Corporali jejunio vitia comprimis
virtutem largiris & præmia.

7. *Si Filius Dei es, dic ut.*

VNa hæc eſt de technis diaboli, fi
ducia, videlicet virtutis propri
& meritorum ſuorum; quâ nonnun
quam elevat ſervi Dei, peccatorur
ſeſe periculis exponunt. Præſumun
qui-

quidem de Deo, magìs autem revera de seipsis, ita ut videantur Diabolo obtemperare ea suggerenti, Si Filius Dei es, dic ut lapides &c. jam scilicet multùm profecisti, mortificatos habes sensus, iramque in potestate, ne timeas &c. Fidendum sanè est Deo non tamen præsumendum; fidendum, ubi gloria Dei requirit, aut Charitas proximi, sed ubi inanis probatio virtutis est, periculo res est vicina. Deprędari enim haud dubiè desiderat, quisquis thesaurum in manu portat. Ac latrones & Piratæ, non invadunt fluentem è portu, mercesque aliunde petentem navim, sed onustam mercibus portuique appropinquantem, diripiunt. Est igitur bonum dona Dei agnoscere, sed occultare ea oportet; sæpè enim fit, ut cum virtutem nostram agnoscimus, cadamus; qui quamdiu eam nesciebamus, cum timore & tremore salutem nostram operabamur.

8. *Dic, ut lapides isti, panes fiant.*

Videbat tentator Christum esurire,

ac

ac proinde orsus est tentatione
à commiseratione. Nempe non te
mere tentat diabolus, sed prius incl
nationes explorat, unde quem tri
stem agnoscit, murmurationem ei sug
gerit, quem lætum videt, huic supe
biam obtrudit & lasciviam. Ars ita
que adversus diabolum magna est, in
vigilare inclinationibus suis, ne
temere eas foris prodere. Etsi enim
multæ illi sunt tentationum viæ,
tamen nostras ignorat propensione
qua ratione nos tentet, difficilè sta
tuit. Unde Apostolus monet, *Nolit*
locum dare diabolo. Vis hoc imple
re? nihil timeas, nihil cupias, clau
de portas hosti & non poterit intra
re. Etenim diabolus, nos per no
oppugnat.

9. Non in solo pane vivit homo.

NOn planè in solo pane; quæ enim
hæc vita, solo pane vivere? S
quamvis panis Angelicus, non ta
men in illo solo vivit homo. Aud
Israëlem, quomodo nauseat anim
ejus super Pane Angelico, sicut supe
cibo

ibo aliquo leviſſimo. Compoſitus homo eſt ex carne & Spiritu, ideò o-us habet pane nutriri & verbo, qua-e tam pauci in mundo homines ple-è ſunt vivi, quia ſolo ut plurimum pane vivunt. In religione ſanè fre-quentiùs homines vivos, vegetos, obuſtos, lætos, invenies, quia non n ſolo pane vivunt. O felicitatem Religioſorum, ſi tamen & hi bona ua norint; etenim & illi frequenter ibum faſtidiunt de ore Dei proce-lentem. Miſer eſt infans, qui cibum præmanſum à nutrice reſpuit, miſer x homo, qui verbum procedens de re Dei reſpuit & faſtidit: Quis-uis talis eſt, Dei non eſt, quia qui x Deo eſt verba Dei audit.

10. Non in ſolo pane vivit homo.

PRæclarum hoc eſt contra omnia tentamenta amuletum & antido-um. Facta tibi injuria eſt aliqua, uggerit vindictam tentator, reſpon-le; Non in ſolo iſto vindictæ pane ivit homo, ſed & in illo verbo, Di-itte ut dimittatur, hoc enim pro-

c..ſſit

cessit de ore Dei. Bene fortè tibi r
cessit, applauditur, passimque glori
la se se ingerit, & amor proprius, r
sponde Gloria mea non est mea, eg
non glorifico meipsum, Scriptum e
enim, Omnia in gloriam Dei facit

12. *Mitte te deorsum.*

OMnis tentatio diaboli, Superb
est: sive enim ad alta, sive ad h
milia incitat, ad Superbiam voca
Tale videlicet malum superbia e
ut sine illa diabolus tentare non po
sit, etiam tum, cum deprimere se su
det, exaltationem molitur, adeò, u
sit qui se nequiter humiliat. Rursu
omne peccatum deorsum trahit sen
per, & tendit ad profundum usqu
inferni. Diabolum respice, quam a
alto loco ad quam imum ille cecidi
Epulonem vide, supra Lazarum il
fuit, at quantùm decidit! Magnu
chaos, ait Abraham, inter nos & v
firmatum est, ut neque hinc ad vo
nec à vobis ad nos transire quis po
sit. Et nonne fugies etiamnũ pecc
tum omne, tanquam à facie colubri.

12. Osten-

12. Ostendit illi omnia regna mundi.

VAna, vaga, inque momento transitoria omnia sunt bona mundi, quæ in momento ostendi & videri & cognosci possunt, quia videlicet sunt momentanea, non solùm quòd vix momento uno durant, sed quia in momento mortis amitti possunt: Et hæc ipsa diabolus tantùm ostendit; non sinit ea possidere, non sinit frui, cùm minimè cogitas, aufert ea, indque alium trnasfert. Ad hæc, talia sunt bona hæc, ut nisi cadens Dæmonem adoraveris ea non sis habiturus. Quæ verò ista gloria si corruam, si cadam, si prostratus jaceam, si me alteri & quidem diabolo submittam? O diabole si omnia mundi regna dabis, quare tamen vis regnare mihi? si omnem gloriam dabis, da etiam istam, ne cadam. Quod si vero alteri subesse debeam, malo utique subesse Deo, quàm tibi; si quem adorare debeam, adorabo potiùs, quia justius est, Deum, eique soli serviam. Vade itaque Sathana. Te autem adoro Deus

meus,

meus, omni adoratione quam tibi c
beo super omnia.

13. Angelis suis mandavit de te.

COnsidera beneficium Dei, qu
Angelo te tradiderit in custodia
quaque curâ Angelus iste te custo
at, cui ipse diabolus testimonium
ligentiæ perhibet. At tu quomo
cum hoc te custode geris? quam
gnum te tali custodiâ prestas, q
lemque te præstare debes. Sed qu
est quod dicitur, Angelis, non A
gelo? An non unus tui custos? C
tè nõ unus si sapis; tot custodes su
tibi, quot curam gerunt tui, qu
omnes invigilant pro anima tua, t
quam rationem reddituri. Vide
id faciant gementes.

14. Accesserunt Angeli.

VEl unam hanc ob causam diab
esset instanter repugnandum,
Angelis pariamus lætitiam, ut eor
ministerium, protectionem, auxil
applausum promereamur. Specta
lum facti sumus mundo, Angelis,
hominibus; utinam etiã curarem
sic

-ri recreatio eorum! Audi Bernar-
-um dicentem. Currite fratres, cur-
-te; non soli Angeli; sed ipse An-
-elorum creator vos exspectat: Læ-
-ri fecistis Angelos in conversione,
-roficiamus & festinemus eorum im-
-lère lætitiam. Nuptiæ paratæ sunt,
-d nondum plena est domus, adhuc
-xspectantur, de quibus nuptiæ im-
-leantur. Etenim, cur tam prompti
-d ministerium accurrunt, &c.

DOMINICA II. Quadragesimæ.

-. *Transfiguratus est ante eos.* Matt: 17.

-Esus transfiguratus est ante fide-
- les: in manibus eorum, in ore, in
-orde eorum; propter solatium, nu-
-imentum, auxilium illorum. O mi-
- dignatio! Transfiguratus est, at
-uis? quomodo? ex quo? in quem?
-, qui sedet ad dexteram Dei, sub
-ecie panis est in altari, quem Ange-
- intueri contra non audent, præ ma-
-jestate in cælo, ille se hominibus dat
- cibum in altari. Verè transfigu-

ratus es Domine Jesu ante nos, qu
propter nos: Utinam & nos tra
figuremur ante te, per te, fiamusq
similes tibi. Id ego te precor per
mabilem admirabilemque istam
Sanctissimo Sacramento transfigu
tionem tuam. Quid autem mi Iesu
efficaciorane sunt verba Tua ore S
cerdotis prolata, quam Tu ipse
ore & corde meo positus? Sacerd
Verba tua proferens, Panem tran
mutat in Te, Tu in ore cordeque m
præsens, me in Te transmutare n
potes? Potes Domine quia omn
potes, tantummodò velis, & mi
da, ut velim. Ignescit ferrum
igne, aqua à calore calescit, aër p
netratur à luce, at ego ferrum, c
in te ignem non transmutor? ego
qua tu calor, cur abs te non calesi
go àër, tu lux, cur non penetror
luminor totus?

2. Hic est Filius meus dilectus.

VOx æterni Patris Filium suum
nigenitum Christum Jesum, tib
Anima mea, commendantis est. S

scip

pe illum, vide lumen, ut ſcias quẽ
cipis; vide ut ſcias, quomodo ſu-
ptum tractes! Filius Dei iſte, quẽ
Sanctiſſimo Sacramento cernis &
nis, & Filius quidem dilectus, in
o ſibi Pater complacuit: tu itaque;
ra, ut in eo tibi benè complaceas -
ſum audi, ipſi obtempera, tan
am Filius Patri, tanquam ſubditus
omino, tanquam figmentum Facto-
tanquam Sponſa Sponſo, tanquam
ger medico, tanquam diſcipulus
agiſtro, tanquam inſtrumentum
tifici, tanquam miles Imperatori,
nquam Viator ductori, tanquam
ptitius redemptori, tanquam reus
dici. Id enim Pater æternus exi-
t à te, cum ait; Ipſum audite, ipſum
um tanquam legitimum & certiſſi-
im audite libenter, humiliter, con-
nter in omnibus. O Anima mea!
ce nunc ſuſcipis aut ſuſcepiſti hunc
lectum Dei Filium ad cor tuum,
ige interiores aures tuas ad verba
leſtis hujus Doctoris, & dic; Au-
am quid loqueris in me Deus me-

us, quoniam verba æternæ vitæ h bes.

3. *Aßumpſit IESUS Petrum, & Iacobu & Ioannem, in montem.*

AScenſurus & tu in montem Perf ctionis transfigurandusque, aſſ me exemplo Chriſti, Petrum Cha tatis, Jacobum fervoris, hoc eſt ſu miſſionis continuationem, & Joa nem, puri cordis corporisque cuſt diam, iſta enim tria omnino ſunt n ceſſaria ei, qui montem culmenq virtutum conſcendere velit aut d beat. Vide igitur tu, quantum h fervor charitatis, hæc continua ſu miſſio, hæc jugis cordis corporisq cuſtodia, in te, hoc potiſſimum te pore ſuccreſcant; certoque ſci ſi eæ virtutes tecum non fuerint, p fectionis verticem te non conſce ſurum, nec unquã ad gloriam Tra figurationis admittendum, multò nùs autem, vel cum Moyſé locu rum, hoc eſt, contemplativam vit & viam adepturum, vel cum El veri zeloſi hominis typo, ullam u

qua

tam ſimilitudinem habiturum. Cum tamen iſta omnia, inſtituti tui ratio e exigat, tuque hæc ſingula, in vitæ tuæ ratione profitearis.

4. *Ducit illos in montem excelſum.*

NOn eſt mons ſi non eſt excelſus, nec eſt excelſus niſi ſeorſum, ita neque mons eſſet niſi ſeorſum eſſet. Quid eſt hoc ſeorſum? illud nempe: Ducam eum in Solitudinem, & ibi loquar ad cor ejus. Et illud: Ecce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine. Non loquitur Deus ad cor noſtrum in turbis poſitum, ſed oportet, ut homo prius ſedeat Solitarius, & tunc in Silentio & ſpe fortitudo erit illius; quia Deus loquetur ad cor & transfigurabit, illud ante ſe, & ſe ante illud, oſtendens ei quale eſſe debeat, & ad cujus ſimilitudinem. Forma igitur cor meum abſtractam vitam, & Silentii curam ac contemplationis occupationem, quantum ſalvâ obedientiâ & charitate vales; & fuge otioſas, imò quaslibet non ſanctas Sermocinationes, ac converſa-

tionès; ut usurpare possis illud Isa
& Francisci, Secretum meum mihi,
Secretum meum mihi. Verè enim
homo secrètum suum proprie habet,
quando in Contemplationis monte
manet, nullius enim rei consortium
contemplatio patitur. Unde merito
seorsim, & excelso in loco esse dicitur; at quando cum proximis conversatur, de monte se demittit; quia
qui fructum in proximis vult facere,
eorum captui & infirmitati condescendere tenetur.

5. *Et transfiguratus est ante eos.*

VIdèntibus videlicet illis. At cur
hoc? num ut gloriam suam demonstraret? num ut futuris suis ignominiis, hanc gloriæ suæ visionem
usurpationemque præmitteret? An
ut futuris terroribus, hanc majestatis
suæ anchoram opponeret? An ut
dem firmaret futuram? An ut Sanctissimæ humanitatis gloriam, doloribus & morte parandam præmonstraret? An ut discipulis se non absque causa, sed ob talem qualem
ipsi

ɔſo viderant gloriam, omnibus hominibus promerendam, indigna omnia brevi ſubiturum declararet? An t oſtenderet, ſe ſponte ſuâ, nullâ vi ut potentiâ hominum compulſum, noriturum? An ut magis diſcipulorum animos compaſſione commoveret, cum recordarentur, illum nuper ım glorioſum inter Moyſen & Eliın apparuiſſe, nunc verò tam contemptum in cruce, inter duos latrones pendere? An quia tum habuit, coam quibus dignè ſe transfiguraret? 'etrum videlicet, Jacobum, & Ionnem, Moyſen, & Eliam? An exitare carnem ſuam ad paſſionem vo:bat, ideoque Charitatem fæditati, npaſſibilitatem paſſioni, gloriam ;nominiæ præmiſit? Spiritus, enim romptus eſt, Caro autem infirma, leoque roboranda quandoque. O nima mea!, utinam intelligeres, uod non ſunt condignæ paſſiones ujus temporis, ad futuram, gloriam uæ revelabitur in nobis!

6. *Transfiguratus eſt ante eos.*

AT quomodo? Resplenduit faci[es] ejus ut Sol; quia in morte [fu]it obscurandus erat: Vestis aut[em] apparuit alba; quia albâ induend[us] erat apud Herodem. Transfigurat[us] est in monte: quia verè in Calvar[iæ] monte erat transfigurandus de vi[vo] in mortuum. Transfiguratus est a[nte] eos, nempe & propter nos; & [ut] discipuli ejus, transfigurari cup[e]rent in imaginem gloriæ Filii De[i]: id verò fiet, si facies intentionis f[uerit] lucida ut Sol, si vèstis morum ca[n]dida ut nix, si verax, simplex, æqu[a]bilis, solicita & soli Deo tantū pl[a]cens conversatio, si Animus sit [in] monte excelso, hoc est, omnibus c[re]aturis, & semetipso excelsior & g[e]nerosior, si ad magna cum Moyse [&] Elia pro Deo audenda & agenda co[n]surgat, seque ipso quotidie melior e[sse] contendat; gnarus quod ille non [est] verè bonus, qui melior esse non c[u]pit. Transfiguratus est ante eos, [tu] verò quando aliquando transfigur[a]beris coram Deo? quando mutab[e]

ris in virum alium? quousque, ô parvule, diliges ſtultitiam tuam? quando transfiguraberis ante fratres, ante domeſticos, ante proximos? quâ fronte ſatagis transfigurare proximos tuos, cum teipſum transfigurare negligis. Iam aliquoties transfiguratus es, de non malo in pejorem, de fervido in tepidum.

7. *Domine bonum eſt nobis hic eſſe.*

VBi bonum? & quàm bonum Petre? Bonum eſt eſſe in loco transfigurationis Chriſti; ubi ſplendet Chriſtus ſicut Sol, ubi veſtis ejus ſicut nix. Et quis dicit quam bonum eſt eſſe iſthic? Miſera & minuta ſunt omnia, quæ nec dicere poſſumus; proinde nec bona ſunt, quæ dici non poſſunt vera bona. Bonum equidem hic eſſe eſt; ſed nunquid jam opportunum? Nondum hyems tranſiit, nondum imber abiit, floresque iſti, qui apparuerunt, extra tempus erumpunt in terra noſtra. Non audis Petre quid Moyſes & Elias cum Chriſto loquuntur? De exceſſu videli-

cet; hoc eſt, de obitu, deque mor
ejus. Si igitur bonum eſt hîc eſſe,p
tesne Calicem bibere quem Chriſt
bibiturus eſt? imò quem bibit?
quam multi ſumus, qui dicimus, B
num eſt nos hîc eſſe? at nos de e
ceſſu non libenter loquimur, de m
te & Cruce non libenter audim
Socii videlicet conſolationum n
autem tribulationum.

8. *Si vis, faciamus hic tria tabernacula.*

VNusquisque perfectorum & Sp
ritualium tria debet tabernac
ædificare in corde ſuo; videlic
Chriſto, Moyſi, & Eliæ: Conte
plativam. Activam, & Miſtam deb
callere vitam; Ut nimirum, Moyſ
contemplando, Eliam converſand
utrumque perfectè obeundo, Ch
ſtum exprimat. Ut in curandis ali
rum bonis, in portandis aliorum d
fectibus, pietatem & manſuetudin
Moyſis; in honore & gloria Dei d
fendenda ac propagãda, ignitum f
vorem retineat Eliæ; in omnibus v
rò cujuscunque generis oppreſſio
bu

las, ac molestissimis licèt operibus, nionem conservet cum Christo. Ad hristum medium, tam Moyses quàm lias recurrunt, & cum eo de excessu oquuntur. Sic ergo, ô homo, te radas aliis, ne tamen obliviscaris ui, sic quoq; vaces tibi, ne tamen egligas alios, sed ad illud ex hoc ecurrẽdo, Christum ubique medium etine, inque omnibus tuis occupa- ionibus ad ipsum convertere.

9. Hic est Filius meus dilectus.

QUis dubitet Patri æterno dilectum esse Filium unigenitum? Ad quid gitur hæc vox de nube? an ut nos d Filium suum amandum suo exem- plo excitet? An ut ostendat omnia n eo esse amore digna, quoniam in o sibi Pater bene complacuit? An ausam ipsum amandi nobis ostendit, um ait, propterea quia in ipso mi- i bene complacui, amate illum, ut & vos amem cum ipso, ut vobis be- nefaciam propter ipsum. Bene mihi complacui in ipso, quare & vos ad Filii mei exemplar vos componatis,

eique similes fieri laboretis. Mon
itaque, ipsum monentem audite,
docentem, ipsum exprimite facie
tem. Audit ille me, audite vos
lum, & vos dilecti mihi eritis. A
anima mea quomodo tu audis di
ctum hunc Patris Filium, & qu
modo eum audire debes.

10. *Nemini dixeritis visionem.*

SIcut propter nos nobis dat Ies
dona, communicatque gloriam
am, sic propter nos eandem cela
mandat. Non enim sibi cavet Deu
dum sua vult latere dona, sed nob
qui ex donis Dei quandoque acc
ptis ab illo, superbire solemus ta
quam de propriis. Potes autem,
anima, in alium quoque sensum d
rivare verba ista. Audisti ab al
aliquid factum malè, nemini, cui n
interest, visionem hanc dixeris. A
disti ab alio, de alio dictum aliqui
nemini dixeris visionem hanc. V
disti aliquid contra alterum factu
nemini dixeris visionem hanc. A
disti verbum, filiæ moriatur in cor
tuo

ro, non enim te disrumpet, alio-
uin, ſicut ſagitta in femore canis,
c verba in ore ſtulti, dicetur tibi.
ntellexiſti aliquem hoc vel illud
ropoſuiſſe, in hoc vel illo eraſſe,
nfortunium illud ſubiiſſe; memento
t nemini dixeris viſionem hanc, ſed
n te ſepeli illam, & quod tibi vis
ieri, alteri idipſum facias.

DOMINICA III.
Quadrageſimæ.

1. *Pervenit in vos regnum Dei.* Luc: 11.

PRofectò pervenit. Et quis perveniſſe dubitet? Eò pervenit, quò & IESUS; nam IESUS eſt regnum Dei, ad me autem pervenit IESUS, nō ne itaque ſimul cum illo regnum Dei? ubi enim eſſet regnum Dei ſi non in IESU, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter? Facta mihi eſt petitio mea, quâ petivi, ut adveniret in nos regnum Dei; venit, quia IESUS Deus meus venit. Nonne agnoſcis anima mea commodum tuum? O Corpus! ô Anima!

nima! pervenit in vos regnum De regnat in vobis Iesus, in Iesu D us, quid vis amplius? O Cor! r gnum es Dei. Quid? quod tale r gnum venit in te quale est in De eodemque modò pervenit in te. R gnat Deus in Christo, veni huc, m ne hîc, exi hinc, vade illuc, veni c cælo sis sub specie panis, abi ad v scera mea abi ad viscera illius. No ne hoc est regnum Dei? ô quid ei aliud? Pervenit in te, ô Anima me regnum Dei.

2. Beatus venter qui te portavit.

AB æterno Domine Iesu portavit uterus Patris: Ex utero ante Lu ciferum genui te Psal: 2. Olim portavit uterus Virginis, & bea quæ credidit, meritò enim dic Deo, Magnificat anima mea Dom num, quia fecit mihi magna qui p tens est. Et tu quoque anima m beata, siquidem & tu portas in ut ro eundem Dominum Iesum in Sa ctissimo Sacramento receptum. Gr tulare tibi ô anima mea: sed scit

no

on assuèvisse IESUM portari, nisi vel in æterni Patris, vel in Virginis Matris Sacratissimo utero, proinde conare, ut assimiletur uterus tuus illorum uteris; Ut casto & Sancto IESUM viscere portes. Et quia multum distas à Patre illo cælesti, Matreque illa Sanctissima, tui contemptu & humilitate omnia compensa, ab iisque quod in illis superabundat, suppliciter exora.

3. *Erat IESVS ejiciens dæmonium.*

PRoprium Christi officium est, ejicere dæmonia. Quis enim ejiciet illa, si non Christus fortis? Armatus est dæmon, fortiter custodit, non solum domum quietis suæ, sed ipsum etiam atrium, fortiori igitur ad ejiciendum ipsum opus est: & quis fortior illo, quem dixi, Christo? Dole quod toties mancipium fueris diaboli, & quidem propter ignaviam tuam, vel propter res vilissimas. Gratiasque age Christo, quod te ab hoc possessore liberaverit; & pete ne in ejus potestatem te posthac venire sinat.

nat. quin & tu omne ejus vestigi[i]
eradices, ne quidquam suum in te i[ni-]
micus habeat; magna enim est [ty-]
rannis illius.

4. Et illud erat mutum.

FRequens est, ut te mutum inv[e-]
nias; Vide ne hoc sit dæmonis, [te]
mutilantis signum, si mutus es in o[ra-]
tione, mutus in Dei laude, inque g[ra-]
tiis agendis, si mutus in miseriar[um]
tuarum apud Deum expositione, m[u-]
tus in peccatorum confessione, mu[tus]
in piis operibus, mutus in peccat[is]
quantum licet, liberè, quantumq[ue]
tua interest, arguendis, mutus in [ju-]
vandis ad pietatem, quà consilio, q[uà]
doctrinâ, quà concione, credere p[o-]
tes, dæmonium mutum eo tempore [te]
infestare. Mi Iesu, ejice hoc dæm[o-]
nium, ne sileam à bonis; ut aliqu[an-]
do dicere non cogar; Væ mihi q[uia]
silui! pollutus ego sum labiis. N[on]
sola enim loquela polluit homine[m,]
sed & silentium.

5. Et cum ejecisset dæmonium, locutus e[st]
mutus.

M[a-]

MAgnum ſignum ejecti dæmonii, locutio muti eſt. Sive quando tentiones ſædæque quævis cogitatioes ſuperiori deteguntur; ſive quano latebræ conſcientiæ & peccata confeſſione aperiuntur: in his uippe duobus, dæmon præcipuè utus eſt, mutosque homines reddit. ive quis vitia, propria, confeſſionis ratiâ publicè aliis detegit, hoc uti dæmonis ejecti evidens ſignum: roprium namque Sanctorum èſt, uærere confeſſionem propriam, ſiut malorum eſt, timere confundi.) Domine ejice hoc ex me dæmoium, ut confitear adverſum me inuſtitiam meam tibi.

6. Et admiratæ ſunt turbæ.

Ectè omnino, talia quippe opera mirari addecet. Sed, ô quoties taia ſpectamus, nec tamen miramur! 'ileſcunt opera tua Domine apud os, non quia mira non ſunt, ſed uia crebra ſunt. An miraculum exiuũ hoc eſt, homines grandia ſua pecata homini pandere? & tamen hoc

fit,

fit, quando tu id jubes Domine q
ejicis dæmonia; nos verò iſta nc
miramur, quia non attendimus, m
jus eſſe miraculum convertere pe
catorem, quàm ſuſcitare mortuu
ô ſi id faceremus! magis utique a
eorum converſionem excitaremu
frequentius & ferventius pro pecc
toribus oraremus, pœnitentias ſub
remus, intelligeremusque, hoc ſ
crificio, nihil apud Deum eſſe gr
tius.

7. *In Beelzebub principe dæmoniorum.*

NIhil eſt tam Sanctum, quod in
probitas non adſcribat impietat
ex ſuo omnia metiens. Graviſſimu
certè peccatum, ſed tamen commu
niſſimum, interque Religioſos nc
infrequentatum, cujus eſt mater inv
dia. Tu cave ne hoc malo labore
quoties enim bona aliena culpas, e
tenuas, invides, inque malam parte
interpretaris, toties Christo, vel Sp
ritui Sancto, boni omnis authori d
cis. In principe Beelzebub &c. Fu
ge hoc malum, & potiùs mala alien
lauda,

Iuda, inque bona pertrahe, quàm quod five bona, five mala culpes. Quis enim es tu qui alienum judices servum?

§. *Alii tentantes signum de cælo.*

HIc ſtulti ſumus, ut miraculum in miraculo quæramus Vident judæi mutum, ejectum dæmonium, & tamen aliud ſignum quærunt. O quoties Deus mira in nobis operatur, quæ tamen nos non agnoſcimus; ſignum de cælo poſcimus, quaſi inſpiratio illa ad bonum, à nobis aut ex nobis, & non potius ex Deo ſit, ex quo omnis ſufficientia noſtra. O Domine, diſcam non ſcrutari theſauros tuos, aut majeſtatem tuam, ne opprimar à gloria; ſed potius diſcam, dona tua cum humilitate acceptare, & pias à te immiſſas voluntates cognoſcere, & amplecti, ſequi, exequi.

§. *Vidit cogitationes eorum.*

ET audes aliquid cogitare impurum, leve, ſcurrile, mordax, murmuratorium, detractorium, ſuperbum! Quod te pudet facere, quod

pudet

pudet aliis dicere, pudeat quoc cogitare. Nam Deo loqueris, qu quid ipso conscio cogitas, nam si homo audit voces, vel videt ope sic Deus, intuetur, & audit cogita Cogitati, dicti, facti, discrim apud homines sunt, apud Deum n sunt, nam sicut in suis, sic in homi operibus, has differentias non hab Ergo Deum cordis tui censorem verere; non secus, immò magis eti quam homines operum judices n tuis. Quid enim hoc impudent esset, in tenebris erubescere, in so perfricare frontem? Aspectus hom nis tenebræ sunt; aspectus Dei, pl quã sol est.

10. *Omne regnum in se divisum.*

MIrere etiamnum causam deso tionis tuæ Anima mea; & ca sam require domus supra domum l bentis. Divisum est regnum tuu quid miraris? Regnum tuum, ô h mo, cor tuum est, Anima tua est, ipse es, si divisum est cor, si anima cum pugnat ipsa: si Rationi volu tas,

s, si caro spiritui subdi nescit, non-
regnum in seipso divisum est? Et
nne hæc tu experiris, nonne quod
ivisum regnum tuum, ideò & de-
latum agnoscis? Non est desolatio
per animæ desolationem: mavult
eus desolari cælum, quam animam;
uoniam ne anima desolaretur, ipse
eseruit cælum, & ob hoc in terris
isus cumque hominibus conversa-
s est. O ingratum mundum, qui
esolari potiùs à Deo vult, quàm in-
oli ab eo, ô ingratam animam, quæ
eo hoc studium negat, quæ in hoc
eum non juvat. Et quam olim Deo
usam tantæ suæ desolationis offe-
t? Reduc ergo anima mea ad con-
rdiam teipsam, subjice te Deo, car-
em tibi, voluntatem tuam rationi.
u servi Deo, & caro tibi, quod si
ceris, sedebis in pulchritudine pa-
s, in tabernaculis fiduciæ, in re-
ie opulenta, tam hîc quàm in al-
ra vita.

11. Ideò ipsi judices vestri erunt.

Estri ô viri Spirituales, ô Phari-

sæi,

ſæi, ô annoſi Dei ſervi, erunt judic
Publicani & peccatores, ſecular
homines, novitii,aliique longè v
bis ſimpliciores, quoniam illi, e
minus acceperunt,faciunt tamen pl
& præcedunt vos in regnum Dei; v
inquam, duces cæci, vos magiſtri
Iſraël, vos Emeriti & veterani, v
qui jam divites facti eſtis, qui jam
egentes, qui nauſeatis ſuper profec
& fervore Spirituali. minutarum
rerum obſervantia, vos qui accep
talenta ſudario involuitis & de
ditis: apparet enim,nequaquam v
ſudare in labore, quoniam ſudar
non egetis. Eccè hi, quos dixi, j
dices veſtri erunt, ſed immutato n
mine, de te, tu fabulam accipe.

12. Ideò ipſi judices veſtri erunt.

HOminum Chriſtianorum erunt j
dices Judæi, Mohometani, Hær
tici, hi enim ita zelant pro ſuis ſu
perſtitionibus & erroribus, ita e
mordicus retinent, ut nihil nõ agan
modo ſuos errores vel dilatent v
defendant. Ubi inter Judæos de l
ge Schi-

Schismata? ubi inter Mohometanos de sectis & fide certamina? in solos Christianos divisus est Christus. An potentior est Diabolus ad regnum suum in pace servandum quam Christus? an filii hujus sæculi prudentiores sunt filiis lucis? Cùm alius dicit, Ego quidem sum Pauli, Ego verò Cephæ, Ego Apollo, Ego Calvini, Ego Lutheri, ô pudor! Christiani, quantum in se est, regnum Christi in se ipsum dividunt, Cur? ut desoletur.

13. *Profectò pervenit in vos regnum Dei.*

QUis Sapiens est & non intelligit? quia videlicet pervenit in nos regnum Dei, En digitus Dei id monstrat, si ejicit dæmonia, si monstra & vitia comprimit, si mutorum ad Dei laudes ora resolvit, si auget fervores, promovet virtutes, si solvit in lacrymas oculos, si cor ad dolorem compungit, profectò pervenit in nos regnum Dei. Adveniat ô Domine, in me etiam regnum tuum, & da mihi ut

cogno-

cognoscam adventum ejus, omn
autem divisionem ejus vitem. Sc
tempus visitationis meæ, & eor
quæ ad pacem sunt mihi, alioqui
scientia abscondita, & thesauro
tente, quæ utilitas?

14. Cum fortis armatus custodit atrium.

NOn solum fortis sed etiam prud est armatus iste. Fortis, quia matus; prudens quia atrium cu dit; non sinit hostem & in atrio sistere, principiis obstat, elidit stem in semine, adversario repug in foribus, & si intrare contend bellum minatur. Hoc fac, & erun pace omnia quæ possides. Atrium um, cogitatio tua: intrat hostis a um, quando cogitationes sugges nesque malæ consensum quærunt obtinent, allide istos parvulos petram, ne nascantur, ne per lon invalescant moras. Deus meus qu ta mea hoc in genere negligentia quantus, examinis circa cogitatio neglectus, quanta sensuum incur

Arn

ma me Deus & fac robustum, ut nō
is putem ab intimis cubilibus éje-
se hostem, sed etiam ab atriis por-
que illum arceam. Nam, etsi illud
ne malum nōn est, ad pacis tamen
ssessionem turbandā multum valet.

15. Si autem fortior.

Ostis tuus ô anima mea non ideo
vincit quia te fortior, sed ideò
rtior, quia te vincit; nunquam
im hostes tui fortiores te sunt, quia
eus non permittit te tentari supra
ires tuas: quando ergo ab hoste
inceris, non provenit hoc ex hostis
bore, sed ex tua ignavia, Quare,
ide quam sit malum te ignavum esse
: tepidum, Nam primum das hosti
: te victoriam: deinde, eum fortio-
m reddis, qui te erat infirmior;
emum, arma tua illi cedunt; ac ul-
mo spolia tua tibi erepta, & vasa
strumentaque bonorum operum ac
eritorum tibi accepta, distribuit, in
iam perniciem vertit, & mortificat.
a Domine ut nunquam intrem in
ntationem, nunquam immitte mihi

hoſtem me fortiorem], ſed talem qu
vincam, faciamque cum tentatio
proventum.

16. Spiritus ambulat per loca humoſa.

NOn invenit Spiritus nequam in l
cis ſiccis requiem, habitat en
in locis humidis, dormit in ſecre
calami. Humentia loca ſunt, cor
immortificata, corpora delicata,
aſperitatem horrentia, ubi ergo v
luptas non eſt, ibi requiem Spirit
immundus non habet. Sed ah! qua
difficilia ſunt prælia caſtitatis, qua
laborioſum eſt Spiritum immundum
fomenta libidinis ex locis hument
bus ejicere! Solius hoc Dei opus e
nemo enim poteſt eſſe continens, n
Deus tribuat; alioqui, nos quidqu
agimus, ignes ſuppoſitos cineri dol
ſo calcamus, & plenum laborio
aleæ opus tentamus. Ama tu, anir
mea, mortificationem tam interna
quàm externam; melius eſt enim co
pus mortificatione ſiccare, quam in
mundi Spiritus requiem aut habit
tionem eſſe.

17. Re-

17. Revertar in domum meam.

Anima! ſic pœnitentiam age, ſic
meliorem vitam inchoa, ſic indue
vorem, ſic muta mores, ut ho-
n in deſperationem de reditu ad-
cas: ſi enim poteſt & audet tuus
ctis dicere, Revertar in domum
am, apparet te negligenter pœni-
ſſe, apparet te jam intepuiſſe. O
mine! ecce ego infelix jam vo-
n hanc, Revertar in domum me-
, familiarem feci diabolo incon-
ntiâ meâ? Toties namque egredi
idem eum à me, confeſſione, com-
nione, Sanctiſque propoſitis co-
, at nihilominus more canis ad vo-
tum protinus convertor, ille poſt
m horamque dicit, Revertar in
num meam. O Domine! confirma
,ut æternum excludam hoſtem me-
.

18. Tunc vadit, & aſſumit ſeptem.

Oc eſt recidivantium damnum,
ut quotidie deteriores fiant, libe-
res, diſſolutiores. An non tu ani-
mea experiris, ex quantò ſcilicet

fervore, in quantum recidisti te-
rem, ex quanto vigore, ad quant
laxitatem, quam difficile tibi nu
meditari, quam jugiter tibi vas c
dis angustiatur, ne gratias, ne illu
nationes, ne auxilia Dei recip
Exhorresce anima mea execrabi
istum teporem, & time ne noviss
fiant pejora prioribus. Nam ist
inconstantia tua, facit te difficil
converti, tardius compungi, cit
arescere, faciliùs ad vomitum red
ad cordis duritiem transire, ir
Dei thesaurizare, quæ omnia infe
pejora sunt, quia infernus prop
hæc tantùm malus est.

19. Beatus venter & beata ubera.

VEnter animæ memoria est. Be
memoria quæ Deum habet præse
tem, Beata ubera, quæ Jesum la
fervoris nutriunt, conatuque ei n
gis semper placendi. Exprime ub
tua anima, & vel ad sanguinem Ch
sto sugenda præbe, ut crescat in
& roboretur, & proficiat gratiâ ap
Deum & homines.

20. Bea-

20. Beati qui audiunt.

Udiunt verbum Dei interius inspiratum, exterius prædicatum, audiunt legendo, orando, loquendo, exempla aliorum attendendo, opera Dei considerando, beneficia ponderando & simul ad interiora reducendo, conscientiam deniq; ad examen vocando. Beatus, qui se se his exercens, audit verbum Dei loquentis excitantisque. Agnosce anima mea negligentiam tuam in his omnibus, in tanta licet omnium copia, deprecare, fervoremque statue. Custodiunt verbum Dei qui implent, qui ut ab aliis custodiatur curant, qui ab hæreticorum depravationibus illud defendunt, qui scrutantur scripturas aliisque explanant, qui quemadmodum alios docent, ipsi faciunt; alioqui, nullam sibi excusationem faciunt à peccato.

DOMINICA IV.
Quadragesimæ.

1. Unde ememus panes? Matt: 14.

Quam prompte, Benignissimus Jesus, de Cibo populo illi necessario cogitat! quàm copiosè eundem subministrat! Unde emimus panes? En cura; Distribuit discumbentibus quantùm volebant: en copia! Sed quantò libentiùs tibi providet de cibo corporis sui sacrosancti, si modo ad eum accedas, si digne adeas. Confer, & meritò praefer studium Christi in te pascendo, illi in pascendis quinque millibus. Quod tibi dat soli, toti mundo sufficere potest. Quod istic uni dedit, id satis erat pluribus. Deinde illis panem, tibi corpus suum, illis panem nudum cum paucis pisciculis, tibi cum corpore sanguinem suum, vitam suam, animam, merita, virtutes, divinitatem dedit. O! digne accede anima mea ad cibum hunc nobilem, ô! propera, & noli esse solicita de pretio, dicendo, unde ememus hunc panem? Te da, & habebis illum: si aliud dare pretium velles, ducenti denarii, hoc est, infinitum pretium

non

non sufficiunt. Affer fidem, affer charitatem, affer humilitatem, affer desiderium, affer cor, & habebis quantùm voles, imò plus quàm voles, non enim capies quod habebis, sed comprehenderis ab eo, quem manducabis, mutaberisq; in eum, & non in te ille. O quam bonus es Jesu, quã admirabilis in hac tua liberalitatis ratione, cum prospicis commodis nostris, cum voluntati nostræ subservis! das quia vis, sed non das quantum vis; verum quantum volumus tantum das. Et quis similis tibi ex mundi magnificis! ô Anima! si non saturaris, si non impinguaris, quem culpas?

2. Quantum volebant.

ET quid dicis Anima, te velle Deum, te cupere amare Deum, te famescere Deo? en dat, en distribuit Jesus quantum volebant. Exere itaque famem, dilata cor, intende desiderium, diffunde voluntatem, Spiritu anhela. Magnus est Dominus, magnum & capacem locum quærit, quã-

tum de illo voles, tantùm tibi communicabit, quid quæris amplius à Deo? Dilata ô Deus cor meum, ut fit capax tui, & fit multum capax.

3. Subiit in montem & sedebat cum discipulis.

IN montem Jesus subit cum discipulis, & cum eis ibi sedet, ad turbas verò descendit, quia turbæ non possunt ad eum ascendere, imò faciliùs Jesum comprimunt quam tangunt. Tu vide è quorum numero sis; An de discipulis, num verò de turba? Si ascendis in perfectionis montem, si quotidie te ipso existis melior, si tibi sordet terra, si animum excelsiorem omnibus creaturis habes, si nihil te adversorum turbat, si gratis Deum sequeris, & non ideo quia ex panibus ejus saturatus es, si in oratione monte cum Jesu versaris, & ibi quasi discipulus sedes, verè discipulus es. Si autem Jesus ad te descendere debet, condescendere tibi, lacte non solido cibo te pascere, de turba es. O Anima! profice, & montem subire conare.

4. Cum

4. Cum ſublevaſſet oculos IESUS.

INtuere ô homo oculis tuis elevatos oculos benigniſſimi Jesu, ſpectantes ad ſe venientem turbam, de ejusque ſaturatione cogitantes. O quam libens Jesus elevat oculos ſuper turbam ad ſe venientem! nonne cupies anima mea turbas hominum ad Jesum pertrahere, ut oculos ejus tam jucundo recrees ſpectaculo? Si verò tam jucundis turbas reſpicit oculis Jesus, quibus putas oculis reſpiciet diſcipulos, quibus electos, ſponſas adamatas? Non fruſtra Jesus levat oculos; levat enim ut miſereatur, ut neceſſitati ſubveniat, ut ſublevet cadentem, ut animet pugnantem, ut recreet feſſum, ut coronet victorem, ut alliciat accedere verecundantem. Leva mi Jesu oculos tuos ſuper me, & pone eos ſuper me, ſicut ſuper ſponſam aut diſcipulum, ſaltem ſicut ſuper unum de turba.

5. Unde ememus panes?

PRovidentia quærit, unde providebis? an hoc dicit tentans, cum ſciat

quid sit factura? verè ô providenti tentans dicis, quoties aliquid facere constituis: sed tentas, ut fidem probes & fiduciam explores, ô utinam sciat mundus quid sit providentia Dei! non tam parcus esset in Jesum, ut quæ ille mundo dedit, emere cogatur ab illo, & quod magis est, etiam panes renuit gratis dare pauperibus, qui fratres sunt Christi & membra ejus.

6. Unde ememus panes?

VOx Prælatorum, Doctorum Concionatorum ea esse debet. Ecce subditi, ecce rudes, ecce populi quærunt panem directionis, solatii, doctrinæ, disciplinæ, admonitionis: Unde ememus panes? At miser es quisquis ab homine quæris, qui ab homine emere cupis, qui ipse eget, qui ipse est pauper, conservus tuus est. Vade ad divitem, qui dicit, Emite sine pretio, sine argento, sine ulla commutatione. Ad Sapientiam abi & eme; pudeat te prædicare quod cœlo non hausisti, quod oratione, la-

cry-

rymis, humilitate, mortificatione
on emisti.

7. Ipse enim sciebat quid esset facturus.

ÆPe Dominus tentat nos. Jubet
aliquid agere, successus verò negat;
on quia à nobis fieri non vult, sed
uia tentat? an potiùs illi, quàm no-
is fidamus. Si ergo aliquid acturus
s, quod Deum te velle putas, age
uod in te est, sed in Deo spera, &
cito Jesum scire, quid sit facturus.
Non succedit negotium? habes ad-
ersarios potentes? tantò magis fi-
le, spera contra spem, spem habe,
cogitans, quod scit Iesus quid sit fa-
cturus.

8. Ducentorum denariorum.

Sta est carnis & sæculi prudentia,
quæ suas examinat vires, nihil ha-
bet quod suum possit dicere, & ta-
men centenarios computat. Noli tu-
as attendere vires, sed Dei divitias,
O quantum Dei distant cogitatio-
nes, quantum ejus judicia à nostris!
Ducentorum denariorum panes pau-
cos judicamus, Christo verò & quin-

que ſunt nimii. Noli tuis ex viri bus metiri Deum, crede eum plu poſſe facere, quàm te cogitare; di ſceque Deo committere, ut ipſe fa ciat.

9. Colligite Fragmenta.

VIde quam providus ſit Paterfam lias Dominus IESUS: Iubet co ligi fragmenta ne pereant: at eg prodigus, fruſta integra colligere ne gligo, plane ac ſi Deo ditior eſſem ô quanta negligo fragmenta, quand occaſiones meritorum prætereo! Plu ra ſunt fragmenta quàm ipſi panes fu ere. Facilius ſcilicet hi proficiunt i virtute, qui etiam minutiſſima obſe vant, quam qui tantum magna age contendunt. Valde magna facit, q etiam minima facit, qui minima magna facit, qui nihil perfectionis mittit, quod Divina gratia conſeq poſſit.

10. Colligite fragmenta.

COgita quomodo divitias Chriſt hoc eſt, paupertatem ſervas, tr ctas acceptas. Integrosne requir

panes

anes, an fragmentis contentus es? ptasné ea tibi dari quæ viliora ſunt omni? Male veſtiri Paupertas non oteſt ſi paupertas eſt, quantò nudir eſt, tantò ornatior, & ſuis planè eſtita coloribus: ſed nos, ne de noine quidem Paupertatem novimus, ui fragmenta aſpernamur.

11. Colligite fragmenta.

O Divites quod ſupereſt, date Eleemoſynam, & omnia munda ſunt obis. Non vult Deus à vobis poſeſſiones integras; date fragmenta, ate quod ſupereſt, date calicem quæ. Et vos, ô Diſcipuli! fragmena colligite, fractos homines peccais, convertite, eos ſi negligitis peibunt, ſed, & ſanguis eorum, de mau veſtra requiretur.

12. Colligite fragmenta.

SI Diſcipuli fragmenta neglexiſſent, miraculum non cognoviſſent, vel altem non ita cognoviſſent. Maximus eſt Deus in minimis, ſi modò quis oculos habeat, ut videat quantus eſt Deus, in providentia rerum

etiam minutissimarum circa unum hominem. Totius vitæ meditatio huic cogitationi parva est.

13. Facturi eum Regem.

COmpara tuam, cum turbæ hujus gratitudinem. Illa post unum beneficium IESUM vult Regem facere; tu post tanta, tamque multa, ipsum Regem non facis. Cum tamen IESU cupiat esse Rex tuus, si eum facere velis. O IESU esto Rex meus; rege me, & guberna. Dignus es Regis titulo, qui me etiam nolentem, certè negligentem, ultrò tam suaviter regis.

14. Fugit in montem solus.

NE quære mercedem operum in hac vita, gratis Deum ama, liberaliter Deo servi, modico nolis esse contentus, nec putes tibi satis esse, tuo satisfecisti officio. Officium tuum est, facere quantum potes, si plus potes quam facis, officio tuo non satisfecisti. Neminem ex Catalogo filiorum ad famulandum Deus conduxit: nemo magnus evasit Dei amicus, qui

omnia servitia sua ad calculos revocavit, aut, quid teneretur, quid non, examinavit. Multò autem minùs hic, qui pro singulis mercedem speravit, exigit, vel recipit. Gratis ergo Deo serviendum, ut servias non gratis, id servias, ut sis gratus.

15. Fugit in montem solus.

Fugit honores Iesus, ut tu eos non secteris: & fugit in montem. Non enim quælibet fuga, fuga est, sed ille verè fugit, qui ad montem fugit; id est, qui soli Deo tanquam summo vertici, honorem tribuit, ipse verò sua humilitate supra omnes honores sæculi, & laudes hominum, ne ad ipsum pertingant se attollit. Hoc est accedere ad cor altum omni honore humano altius, ut exaltetur Deus, & in ipsum solum omnis honor redundet.

DOMINICA V.

Quadragesimæ.

1. Quem te ipsum facis? Luc: 8.

O Iesu quem te ipsum facis, quando in Sanctissimo Sacramento cibum

bum hominum te facis? quando a
me ingrederis, ut à me manduceri
quando à me manducari vis, roga
jubes, gaudes? Noſtiné tu quis ſi
noſtiné quis ego ſum? Quem te ipſu
facis, quando te mihi ita commun
cas, quando te ita propter me ve
tis, evertis, convertis, exinanir
viliorem te memetipſo reddis?
quem te ipſum mi Iesu facis propt
me! fac me quoque talem, fac r
humilem, fac me qualem me eſſe c
ſideras propter te. O homo quem
creator dignatus, qui Redemptor
Deumque tuum es ſuſcepturus, q
conviva Domini factus, quem te ip
facis? Ah! quàm tepidus, quàm
ſtractus, quàm vagus, quàm impa
tus, quàm ſine ulla fame ac præme
tatione accedis, quàm facilè hoc c
ſumpto, te ad vana convertis? O c
viva Dei, ò Chriſto ſatur homo! ol
tusne quid modo egeris, quid ob
nueris, quem manibus & ore trac
ris? ſupra ſortem Angelorum m
primum evectus, protinus ad lutu
ſe c

ces, teporem, garrulitatem, evagationes recidis. Ubi morum compositio, ubi devotionis internæ sensus? O stulte, quem te ipsum facis? Christus te vult esse Divinum, tu te facis suem in volutabro luti, O utinam videres aliquando, quem te ipsum facis?

2. Quis ex vobis arguet.

QUis in Sole tenebras, in igne frigus inveniet? In Te ne peccatum est mi JESU? Contemplare, ô Anima, defixis oculis innocentiam JESU, cui nec hostis quod objiciat habet; Gratulare ei, & quod tam purus sit, gaude. Sed cum ille tam sit innocens & mundus, & tamen talia in vita sua passus, quid tandem te decet? 2. Plerumq; nobis id accidit, de absentibus male loquimur, facta eorum consiliaque ac mores, culpamus, quibus palam objicere nihil possumus. O! utinam discamus frena imponere linguæ? 3. Quis mihi det vivere et ita, adversariis, tam visibilibus quam invisibilibus, tum in vita tum in

in morte, dicere possim, Quis ex vobis arguet me de peccato? solus Deus vere & secure dicere potest, Quis ex vobis arguet me. Nos crebro id quidem usurpamus, sed vel ex superbia, vel, quod pejus est, ex malorum nostrorum excusatione, mala enim facimus & pejus defendimus.

3. *Si veritatem dico, quare &c.*

VEre mirum est Domine Jesu, quare tibi non credimus, vel saltem non in omnibus credimus. Persuasisti nobis, ut credamus abstrusa, difficilia, supra captum nostrum; quæ verò facilia & obvia sunt, his non credimus. Quis enim nostrûm credit amandum esse inimicum, de omni verbo otioso reddendam esse rationem? Ecce ego mi Jesu, qui speciali ratione tibi credere deberem, sæpe fidem dictis tuis non adhibèo, & si eam non ore, opere frequenter nego.

4. *Si veritatem dico.*

VTilis interrogatio his qui præsunt, qui alios docent. Quoties enim veritatem dicunt, & quare tamen

tam

um rarò, tam pauci credunt? An in
uditoribus culpa eſt? Non rarò qui-
em. An in docentibus? frequens &
n his. Damnatio ſanè audienti & nō
cienti; ſed & væ illi qui unâ tan-
um manu homines ad Deum trahit,
lterâ verò, exemplo ſcilicet ſuo, ab
pſo repellit. Non erat in Chriſto
ulpa, ſed in Judæis, unde merito eos
rguit. Si veritatem dico, quare non
reditis mihi? ſæpe tamen & in do-
entibus culpa quarè non creditur
is.

5. *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit.*

Ibenter amicus verba audit amici;
ſi audire non vult non eſt amicus,
uis æque amicus eſt nobis atque De-
s? Ipſe plus amat nos quam ipſi nos.
ujus itaq; potius verba audiemus,
uam amici Dei? Attamen quā multi
mus, qui nugas & fabellas quasvis
udire malumus, quam verba Dei.
udimus quidem Conciones, ſed eas
on ut verba Dei, ſed ut verba homi-
um, acutè, doctè, novè excogitata
ttendimus, Spiritum verò, mores

cor-

corrigere negligimus. Sed væ nob
venient enim dies, quando etiam D
us verba noſtra audire non vol
quanquam quid dico, venient di
quidſi jam venerunt? Quoties De
oramus, clamamus ad Deum, nec
men audimur à Deo? an nõ quâ m
ſurâ metimur, eadem remetitur
bis? O ovis, vis à Paſtore audiri,
ab eo curari, audi vocem ejus.
canes ob modica beneficia audi
voces Dominorum, negligunt eſ
captasque prædas, En accipitri,
ſibilum, libertatis ſuæ obliti, man
& vincula Domini repetunt. Tu
de, qualis ſis in Deum tuum ô hom

6. Honorifico Patrem meum.

VTinam hoc mihi ſufficiat in om
bus operibus meis, ut nec ocu
quæram hominum, à quibus vid
aut lauder; nec reformidem jud
linguasquè eorum, à quibus vide
nec frangar objicientibus ſe ſe d
cultatibus & impedimentis, ſed
unum reſpiciam, hoc ſolum præci
umque motivum mihi ſit ad om

Hon-

onorifico Patrem meum qui in cœ-
s eſt! Sic feciſti tu mi Iesu, audiſti
normem blaſphemiam, dæmonium
abes; contentus fuiſti negaſſe, Ego
æmonium non habeo. Non reddis
ontumeliam contumeliâ, non refun-
is convitium convitio; non mina-
is, non infers ruinam aliis, non
uereris, non accuſas. Verè hono-
ificas Patrem tuum; at ego impius
on honorifico te.

7. *Et vos inhonorificaſtis me.*

Uoties propter culpam tuam pu-
filli ſcandalizantur, quoties
auſa es peccati alieni, quoties pro-
ter quęcunq;, à virtute devias, Deo
ro accepto beneficio gratias non
gis, virtutem alienam in malum con-
ertis; pudore, torpore, timore, id
uod ad laudem Divinam facit, omit-
is, toties inhonorificas Chriſtum.
Mori mihi priùs contingat Domine
esu, quàm juſtè à te audire, Tu ve-
ò inhonorificaſti me, Terrent me
quæ contradictionis, ubi te Moyſes
& Aa-

& Aaron inhonorificaverunt coram populo, & mortui sunt. Honorificasti me Domine Deus in creatione, imagine tua; in redemptione, sanguine tuo, in gubernatione curâ tuâ, baptismo, fide, & charactere gratiæ tuæ; in vocatione, statu me religiosi honorificasti; spondes etiam honorificationem gloriæ æternam. Absit ergo à me, ut ego inhonorificem Te.

8. *Non quæro gloriam meam.*

OMnis quidem hominis, sed præcipuè Religiosi Apostolicam vitam profitentis vèrum hoc stemma est. Exige itaque à te rationem, an verè dicere possis, Non quæro gloriam meam, non quæro quæ mea sunt, sed quæ sunt Iesu Christi. Magna omnino hominis dignitas est, cui Deus gloriam suam concredidit quærendam; nam omnes ferè homines, Deo aut furantur, aut rapiunt, aut negant, aut saltem diminuunt gloriam. Si tibi hoc munus commisit, ejus ut gloriam quæras, vel propages, vel amplifices, considera quâ fide hoc te

agere

ere oporteat. Omnia Deus dedit minibus, & Filium ſuum unigeni-n, ſolam excepit gloriam; Glo-m meam alteri non dabo, tanti eus gloriam facit. Ama ô homo Dei oriam; & tuam in hoc felicitatem lloca, ſi vitæ, honoris, aut cujusli-t boni tui, etiam maximo detri-ento, gloriam Dei augere, & ampli-are potès. Statueque omnia ad ma-rèm Dei gloriã, exemplo S. IGNA-i agere.

9. Eſt qui quærat eam.

Onſolatio hæc noſtra eſt, quia quã-do ego gloriam meam non quæro, ando eam propter Deum negligo, eus curam gloriæ meæ ſuſcipit, eus illam quærit, mecumque hunc it contractum, dicens, Fili quære gloriam meam, ego quæram tuam, i hoc penetrare valeam, ut pro Dei oria meam negligam! ut ſive per nominiam, ſive per bonam famam, i gloriam amplificem! quia Deus ſe patrocinium gloriæ meæ reci-t, & pro hac temporali quam per-

do,

do, parat mihi æternum gloriæ pondus in cælo; & non solum in cælo, sed etiam in terra, nimis honorati sunt amici Dei,ut in omnibus Sanctis ejus cernimus. Confidenter ergo anima mea, gloriam tuam despice, Divinæ te totam impende, contemptus Dei causâ, affecta: quia est, qui quærat, qui curet,qui amplificet gloriam tuam.

10. Si quis sermonem meum servaverit non gustabit mortem.

QUomodo mi IESU gustans sermonem tuum gustet mortem,cum verba æternæ vitæ habeas? cum verba tua Spiritus sint & vita? qui ergo servat verba tua, spiritum servat, vitam servat; nec mortem videbit in æternum, qui sermonem tuum servat in æternum; cum verba tua sint vita æterna. Da mihi, mi IESU, cor docile, & amans sermonis tui, ut vivam tibi; sint verba tua in corde, sint in ore, sint in lectione, sint in meditatione mea semper; vox enim tua dulcis, & verba tua decora; unde etiam

[ti]am, propter verba labiorum tuorũ, [(]o utinam verè dicam) ſuſtinui vias [d]uras; Sileant mihi verba omnium [cr]eaturarum, quoniam vanitas ſunt, [q]uoniam earum verba emortua, ſtre[p]unt non vivunt, ſuntque ſicut ſoni[t]us æris ſonantis, & Cymbali tinni[e]ntis; quia non à vitali potentia pro[c]edunt, ſed à colliſione inanimato[r]um corporum: Amem verò & ſer[va]em verba, & ſermones tuos mi Iesu [i]n æternum!

11. Nunquid tu major es Patre noſtro Abraham?

HÆc tepidorum vox eſt, quam ferventibus & reformantibus ſeſe, [c]orripientibus ſeſe objiciunt. Sic [e]nim vixerunt alii, ſic viximus nos, [ſ]ic vixit ille; nunquid tu es major [e]o? nimium eſſe vis Sanctus. Utinam [ſ]altim hæ voces in Religioſis Ordi[n]ibus non audiantur! verum utinam [m]agis ego ipſe eas non uſurpem! mo[r]i mihi Jesu prius contingat, quam [t]alia dicere. Quod ſi verò illas audi[r]e, aut perferre me vis, paratum cor

meum, scuti loco tibi sim, utque
properia improperantium tibi,
dant super me; ego autem iis n
movear, nec à cæptis bonis desist
sed illud mihi persuadeam, quod
nemo in Ordine hoc juxta institu
suum vivat, ego vivere tenear?
regulas enim servandas veni, n
ut aliis me conformarem. Daque
Iesu, mihi, ut in lucris reponã, si in
li casu unquam aliquid patiar

12. Quem Te ipsum facis?

O Homo! ô Vanitas! o Nihil! que
te ipsum facis? cur inflaris? qua
ti te æstimas? Sed o homo, ô imag
Dei, ô deliciæ Sapientiæ æternæ,
Sanguinis Christi pretium! ô Fi
Dei, quem te ipsum facis? cur te a
vana, ad turpia, ad ista vilia demit
tis, cùm natus sis ad magna? o Reli
giose! quem te ipsum facis? Postu
las immunitates, exceptiones, repu
tationes, blandiri tibi vis de virtute
labore, antiquitate, ætate, doctrina
gradu, meritis; quem teipsum facis
nunquid tu major es quam te Regu-
læ

e esse volunt? Implevistinè men-
uram illam quam tibi vocatio tua
atuit, ut nihil perfectionis quod
ivina gratiâ consequi possis, præ-
ermittas? Si nondum hæc implere
æpisti, quid extolleris? quemq; tei-
sum facere gestis?

DOMINICA
Palmarum.

1. Cum appropinquasset Hierosolymis. Luc: 19.

TRiumphat Jesus appropinquans civitati suæ Sanctæ, Civitati Pa-
is; jam enim tempus aderat, quo,
onciliato hominibus Patre, progres-
urus erat ad cælestem Hierusalem.
ed anima mea, ecce appropinquat
tiam tibi in Sanctissimo Eucharistiæ
acramento; quid videtur tibi? tri-
mphatne etiam? Hierusalem cum
ntraret, commota est universa Civi-
as dicens: Quis est hic? Commo-
enturné etiam ad introitum Chri-
i in cor tuum omnes potentiæ? vi-
esque tuæ, & mirantes, jubilantes-

que dicunt, Quis est hic? ô ve
Quis est hic? Hic enim est Iesus Pr
pheta à Nazareth, qui de cælesti n
gravit Nazareth, & venit ad te, n
netque apud te sub Speciebus Pa
& Vini. Venit autem Rex tuus, t
mansuetus, insidens asello. Rex e
reverere eum; Tuus? ergo exu
quia tuus tibi venit, ergo multa
eo spera, multa pete. Mansuetus v
nit? ergo nó timeas, ne opprima
à gloria, Asello insidens? (spec
scilicet panis vectus) proinde ai
mum cape; cum enim asellum n
dedignetur, nec te aspernabitur.

2. *Sedens super pullum asinæ.*

ASellus est Spiritus & caro morti
cata, carens equis indomitis, pa
onibus & affectibus: pigra ad de
cias sæculi, prompta ad obediendu
Spiritui: patiens ponderis, labo
& æstus; quæque ut jumentum ap
Deum est, & tamen semper cum De
Tali asello libens vehitur Iesus,
tali jumento triumphat: quod qu
dem vult esse pullum, hoc est Spiri

primæ

primævo & novitio fervens, simplexque & candidum.

3. Ite in castellum, solvite.

Quanti aselli & asinæ in castello Ecclesiæ hoc tempore solvi egent, peccatorum vinculis, scilicet liberari: ab erroribus quà doctrinæ, quà morum expediri! Proh! cujus asinus aut bos si die festo cadat in puteum non extrahitur etiam in Sabbato! In his solùm jumentis extrahendis Domine Jesu pigritamur. Quomodo audeam me à tali occupatione excusare, quando hoc sanctioris hebdomadæ tempore dicis, Ite in castellum, solvite, & adducite ad me? quomodo præponam meas privatas ratiunculas devotiunculasq; tanto ludo? Cum itaque, anima mea, Dominus Jesus opus habet asello (anima videlicet in peccatis jacente) nunquid moraberis illud ad Jesum adducere.

4. Dominus his opus habet.

Cogita quantum hoc ad promptitudinem ad fervorem & diligentiam

motivum sit. Quid non agam prō-pte, si quâ re Dominum opus hab intelligam? quid nõ ferventer? q non diligenter exequar, si operâ n Dominus opus habet? Da mihi, Jesu, ut cogitem te semper, licèt n lius egentem, ex bonitate tamen t nostris voluisse egere bonis, nostr nobis exigere obsequia. Da semp ut omnia quæ tibi placent, alacrit ferventer, constanter aggrediar a perficiam; utque asinum istum pr priæ voluntatis, aut judicii, propr commoditatis vel negligentiæ, a ligatum, continuò solvam, quia tu h opus habes.

5. *Fecerunt sicut præcepit.*

NOn solùm quod præcepit, sed tiam sicut præcepit fecerunt. V de: opus est asinos agere? fecerun Audax, periculosum, & probro vic num est, aliena solvere jumenta? t tum tamen fecerunt. Hoc vere ob dire est non tardè, non ægrè, no curiosè, sed simpliciter quia impe ratum, & quando imperatum est fa cere.

re. Tale ministerium, etsi in specem vile, etsi contemptibile est, Christo tamen gratum est, ac proinde nobile est. Examina ad hoc exemplar obedientiam tuam.

6. Alii autem.

VIdes quia in triumpho Christi nemo otiosus est; alii asellum ducunt, alii asellum ornant, alii Christum super illum sedere faciunt, alii vestimenta in via sternunt, ramos alii cedunt, alii Osanna clamant, alii JESUM portant, alii præcedunt, subsequuntur alii, comitantur alii. Non potes tu magna pro Dei gloria operari in Religione, saltem laboribus aliorum non invide, non detrahe; sed saltem applaude, saltem respice, saltem pro iis Deum ora, Deo saltem congratulare, eiq; quod habeat qui ejus gloriam strenuè promoveant, quod excitet sibi animosos famulos & idoneos, gratias age: & pete, ut si tu unus eorum esse non potes, nec dignus es, eorum saltem admirator, laudatorque esse possis.

7. *Alii autem.*

COnsidera in tantis & tam variis omnium, digne Iesum excipien studiis, asellum plus omnibus face plusq; Christo commodare, & si mnibus contemptibilior sit, & vide tur. Quis enim Christum portat, qu Christi pondus fert, cui nam Christ insidet, nisi asello? Dant vestes ali alii ramos, alii voces, alii plausu nemo seipsum. Subjiciunt alii Chri sto vestes, alii ramos sternunt, se psum substernit & subjicit nemo. S lius hoc aselli munus est. Scio, Iesu, me pigrum, veluti asellum scio me nullius frugis; scio conte ptibilem & ad laudem splendore que tuum, valde ineptum; obsecr saltem idoneus sim ad pondus tuum ferendum, ad onus, ad jugum tuu hoc solum enim asellū decet & hu solummodo ferendo idoneus est. quis mihi det ut asellus tuus sim, Iesu! dent alii tibi divitias suas, er gent substantiam in pauperes, ram trophæaque in gloriam tuam erigan

statu

tatuant, ferant, substernar ego tibi & sufficit mihi! Onus meum, amor meus, pondus meum, honor meus.

DOMINICA
Gloriosæ Resurrectionis.

1. Emerunt aromata ut ungerent. Joan: 20.

Considera diligentiam istarum mulierum in præparandis aromatibus Corpori Christi mortui ungendo, sciebant unctum esse ante sepulturam, non tamen contentæ, novam unctionem pararunt. Hæc illæ Christo, summo mane facere conatæ, magnoque sumptu. Tu vide, quantum adhibeas studium ad corpus Christi vivum gloriosumque honestandum? quam ad illud ruditer & imparatè accedis? quàm nulla affers aromata virtutum, devotionis, fervoris, desiderii? Indignare tibi ipsi, teque diligentiùs præpara: cogitans, quàm indignum sit, ut Christi corpus, post tantas à Judæis toleratas defædationes jam glorificatum, resurgens, ho-

die tamen abs te perceptum, eo ip
glorificationis suæ die, à te conspu
cetur; omnino si rectè attendis, il
Christi Crucifixoribus deterior e
illi enim Christi resurgentis Corpo
nihil intulerunt injuriæ, tu autem
tiam in cælis beatifico, infligere mu
tos contemptus non vereris.

2. Ecce locus ubi posuerunt eum.

EN admirandi materiem. Intue
Christum sub panis specie in alta
ante oculos tuos, in manibus tuis,
ore tuo; & si potes, mirare dicen
Ecce locus ubi posuerunt eum! ô l
cus! ô ubi! locus os meum, ling
mea, cor meum. Dignius forsan nup
fuit Iesus positus in Cruce, vel s
pulchro, quam in ore meo, quam
corde meo. Positus fuit in Præsep
quondam, sed à Virgine, & in Cr
ce, sed à seipso, oblatus enim est qu
ipse voluit; in sepulchro, sed ab an
cis; At in ore, & in corde meo
quo positus? A sua quidem benev
lentia in resurrectionem; sed ver
or, ne etiam à mea negligentia,

ruinar

uinam mihi! Adeste dulces lacrymæ, admirationis, gratiarum actionis, Ecce locus ubi posuerunt eum!

. *Veniunt ad monumentum orto jam sole.*

VEre ita, ibant enim ad mortuum qui jam resurrexerat; ibant ergo, orto jam sole, redivivo jam Christo. Etiam nunc peccatores eunt ad monumentum suæ animæ orto sole Gratiæ in cordibus suis, quæ illos monet ad pœnitentiam. Utinam hanc Dei gratiam, seriò cognoscant! sed videas alios currere ad monumentum, quamvis jam sit ortus sol, hoc est redire ad peccata antiqua, quæ Paschæ diebus istis abjecerant, & à quibus resurrexerant, planè ac si ideò resurrexisset Christus, ut ipsi repetere possint tandem sua monumenta. Vide ne tu sis horum similis, ne tibi quadret illud Quàm vilis facta est filia Sion iterans vias suas. Pedes lavisti tuos, quomodo iterum inquinabis eos? Exuisti te tunicâ tuâ, quomodo iterum indueris illâ? ô Domine aliquando incipiam sapere!

4. *IESUM quæritis crucifixum.*

COnſidera, Chriſtum eductis è lim bo Patribus ad vitam redire; Cor pus illud nuper laniatum & fædatu ad gloriam ſurgere, eſſe jam claru impaſſibile, agile, ſubtile; anima plenè eſſe beatam; viſitare Matre ſuam, adire & ſolari lugentem P trum, plorantem Magdalenam, di ſperſos diſcipulos congregare, p cem congregatis dare; Gratula hæc omnia Christo, teipſum junge Spiritu omnibus iſtis Chriſti viſit tionibus, ſingulas ſpecta, mirare dulcedinem IESU guſta, & ſi cu patibili contemptoque adhuc, ve ſari dulce fuit, quàm dulce jam er cum glorioſo? Pete à Chriſto ut educat à limbo & limo imperfecti num & tenebrarum; inducat autem admirabile lumen ſuum, faciat te i redivivum, ut nunquam moriar Deo; ſubjiciat perfectè totum co pus animæ, ut nõ dominetur tibi ul immunditia; faciat te clarum Sup rioribus & intimè cognitum, faci

morti-

nortificatum & domitas paſſiones
iabentem, faciat te ſubtilem patien-
iâ, & omnium humanarum rerum
contemptorem; faciat Agilem ad o-
nnem nutum obedientiæ, faciat de-
iique immortalem, per Sanctam in
bono perſeverantiam. Si te his do-
iis bearit, convertat te ad proximo-
um ſalutem, ad auxilia, ad pœniten-
es ſanctificandos, ad lugentes ſo-
andos ad confirmandos vacillantes,
id animandos timidos, ut verè olim
poſſis uſurpare illud quod Chriſtum
iſurpaſſe Reſurgentem credibile eſt,
quando ſcilicet more ſuo, Patri æter-
io pro ſui reſuſcitatione & gloria,
ratias agens dixit: Cõvertiſti plan-
tum meum in gaudium mihi, con-
cidiſti ſaccum meum, & circumde-
liſti me lætitiâ, ut cantet tibi gloria
nea, & non compungar amplius meâ
riſtitiâ aut imperfectione atque pec-
ato, ſed tibi ſemper in novitate
erviam Redemptori Domino Deo
neo in æternum.

Feria

FERIA II. DOMINICÆ Paschatis.

1. *Loquebantur ad invicem de his.*

AUdi querelas duorum istorum discipulorum, dolorem de Christi morte, insuper incredulam desperationem; & vide, quàm facile in peccata proruant homines, cùm à Dei præsidio discedentes, suæ nimirum industriæ sapientiæq; fidunt.

2. *Dum fabularentur & secum quærerent*

ATtende quàm facile sit JESUM allicere: Loquere bona, loquere de Iesu & ipse Iesus appropinquans ibit tecum. O vere deliciæ tuæ Iesu, esse cum filiis hominum, ad quos tam facilè pellici te finis. O me ingratum qui tam facili medio tam raro utor & cui dubium quod tuam præsentiam non amem? cui dubium quod per me solum stat quominus te mecum habeam? sanè ibi homines cupidissimè agunt, ubi suas delicias habent, illucque facillimè trahuntur, ubi sciunt esse quod amant. Quia ergo tu propter sermones nostros de te habitos

ad no-

ad nos accurris, certum eſt tuas inter nos delicias eſſe. O anima mea ſi Iesum amas, hoc illi amoris argumentum exhibe; ama ſermones pios, de illo loquere, & ipſe appropinquabit tibi!

3. O ſtulti & tardi corde.

Chriſtus errantes & deſperantes diſcipulos erroris admonet, magnamque hinc capit voluptatem, ut tu ſuo exemplo doceat, nulli parcendum induſtriæ laborique, quoties proximi tui egent ab errore, tuâ operâ, liberari, ad virtutem, excitari; cum nullum aut tibi utilius opus, aut Deo gratius præſtare poſſis, quam educere pretioſum à vili, animam è peccato. Totis ergo viribus in eam curam incumbe, & jam nunc totum te Deo commenda.

4. Qui fuit vir Propheta.

Vide quibus titulis ornent Iesum hi diſcipuli. Fuit vir Propheta, Potens in opere & ſermone coram Deo & omni populo. Quantum ergo potes elabora, ut in his Salvatori tuo

quam

quàm simillimus efficiare.

5. Et aperti sunt oculi eorum.

COactus Christus fuit ad manen
cum discipulis invitatus hospiti
Vide jam quomodo liberalem co
penset animum; redivivum se il
clarè ostendit, eorumque animos d
nis ornat. Esto securus ô homo;
quid Dei causâ facis, non vincendu
abs te Deum. Qui credit Deo, f
neratur; cum fœnore enim debitu
recipit. O liberalitas cum Deo! U
nam aliquando tui amor, studiur
exercitium q; corda nostra occup
Quis nolit aureum credere, ut ce
tum aureos recipiat? sanè aut De
mihi mendax est, aut parum prom
sis ejus fido, si parcus sum in Deu
si non sum in Deum dives.

FERIA III. DOMINICÆ Paschatis.

1. Pax vobis nolite timere.

O Jucundam salutationem, & no
nisi post Christi Resurrection
optimè usurpatam! Ubi pax, i
Deus. Unde quando Christus p

cen

em dat discipulis, Deum ad illos
iducit, ipsos filios Dei facit; jux-
a illud; Beati pacifici, quoniam
filii Dei vocabuntur. Vides quanta
onferat bona Christus, pacem con-
ferens. Unde sequitur; Nolite ti-
mere. Quid enim timeam, cum pa-
em habeam, cum pace Deum, cum
Deo hæreditatem cælestem & omnia?
O pax quæ sensum omnium immor-
tificatorum [hominũ] exsuperas, quan-
o te potiar? mi Christe affer hanc
acem ad me semper, quoties te in
anctissimo Sacramento percipio.

2. *Pax vobis.*

CHristi discipulis, non vobis discoli
& impii, Non est pax impiis, dicit
Dominus. Apud solos justos pax ve-
a; juxta illud: Qui posuit fines
uos pacem, & adipe frumenti satiat
e: Frumentum est vita justa, adeps
jus pax. Iusti hac satiantur, quia
uuntur. Unde & Isaias; Sedebit,
nquit, populus meus in pulchritu-
ine pacis, in tabernaculo fiduciæ,
n requie opulenta. At pax impio-
rum,

rum, non pax; quia non pulchr
quia fine fiducia, quia non opulent:

3. *Videte manus meas & pedes meos.*

Quia ego ipse sum; palpate & v
dete. En veritas resurrection
Christi, En efficax discipulorum
fide de hoc articulo confirmatio, E
molesta infidelitatis eorundem acc
satio! En liberalis ad Divinitat
thesauros tractandos, habendosq
invitatio! O Beatam animam, qu
à Christo ad hos misericordiæ font
invitatur! Et quoties ego invit
abs te, ô Bone Iesu, administro S
cramenta vel percipio, præsert
Eucharistiæ, quid aliud mihi loqu
ris, quàm istud; Vide manus pede
que meos, quia ego sum; vide & p
pa. O dignitas Sacerdotum, scilic
Sacramenta usurpantium! Atten
etiam quod Christus discipulorum
dem per omnes corporis sensus st
biliverit. Videri se jussit? en oc
los visumque firmat: Loquitur il
amabiliter? en auditum: Comed
coram illis, extra corporis glorific
ti ne

necessitatem? en gustum. Palpa-
se tangique imperat? en tactum:
dore corporis sui gloriosi eos re-
eat? en odoratum. Quis jam de
surrectione dubitandi locus? Verè
peruisti discipulis tuis sensum Do-
ine Iesu, aperi & nobis, ut efficaci-
r credamus, nos etiam olim resur-
cturos, sicut Te credimus resurre-
isse.

DOMINICA I.
post Pascha.

I. Stetit IESUS in medio Discipulorum.
Joan: 20.

Onsidera, quàm frequenter Jesus
tui causâ consistat in medio Di-
ipulorum ad vocem Sacerdotis,
nuis clausis, invisibiliter, Pane in
um corpus mutato consistit illicò
medio altaris, in medio plebis suæ.
lirare tantam Dei tui dignationem;
dica te illâ indignum; gratias Deo
ge; gaude de tam bono Domino
o, tam amabili, sociabili, qui etiam
manducandum tecum dignatur
descen-

deſcendere. O quanta dignatio! I
medio ſtat Iesus diſcipulorum, i
medio altaris, in medio hominum, i
ore viſceribusque illorum: Agnoſ
anima mea hanc ſtupendam Dei t
bonitatem.

2. Serò, unâ Sabbatorum, Fores clauſæ, Diſcipuli congregati.

AGnoſce conditiones ad adventu
Iesu neceſſarias, ſive communic
turo requiſitas. 1. Ut ſit ſerò apu
te, hoc eſt; ut tibi ſolatia laudis l
cisque humanæ occidant, & ut inc
nentur umbræ occupationum exte
narum: Verecundus enim eſt ſpo
ſus tuus, & turbas averſatur. V
ſerò, propter vehemens deſideriu
adventûs ipſius. Vel ſerò, ob lo
gam perſeverantiam, virilem exſp
ctationem ac ſuſtinentiam Domi
non enim quando tu voles, ſed qua
do ipſi videbitur, veniet: vel den
que, Serò, in tenebris ſcilicet & ſo
tudine, in ſqualore & humilitate, i
enim nos conſtitutos, libenter Ies
viſitat. 2. Ut ſit Sabbatum: F

ſtu

ius nempe dies, ut ferietur mens ab
mni opere, non solùm malo aut
tioſo, ſed etiam minùs ſancto, in-
ndat autem laudi Divinæ, ſciens
uoniam ſabbatum Domini eſt; vi-
e ergo, an quando communicandum
ut celebrandum tibi eſt, Sabbatum
pud te ſit? vide, an quid præter in-
ſtantem communionem vel celebra-
tionem aliud cogites? Quam enim
uæſo putas graviorem magiſque ur-
entem, ac magis ancipitem occupa-
tionem hâc unâ, tractare videlicet
ominum majeſtatis, eumque vel in
itã vel in mortem ſumere? 3. Fo-
s clauſæ: oris ſcilicet, cordis, au-
ium, oculorum, nec eo ſolùm die
uo adventum Dei præſtolaris, ſed
pridie. An enim decet linguam,
uæ verbum æternum & Deo Patri
onſubſtantiale ferre, imò etiam con-
ere debet, verba otioſa, jocoſa,
ave his pejora proferre. An decet
culos eſſe vagos, qui Deum ſuum ve-
ientem & præſentem ſunt viſuri?
n decet cor diſtrahi, aut inquinari
cogi-

cogitationibus inutilibus, quod D
um suum hospitio excipere deb
An aures vana audire decet, q
excipere debeant quid loquatur
se Dominus Deus suus? 4. Cong
gati discipuli: sit videlicet amor
teger, & unio cũ omnibus; ut nec
ulli, nec tibi ullus offensus sit, q
primus eum tibi conciliatum redd
Sic itaque paratum Jesus libens v
lensque invisere festinabit.

3. Pax vobis.

QUid afferat aliud Angelus pa
quam Pacem? Utinam verò lic
nosse qualem Iesus suis afferat pac
Non talem, quasi nullum sit bellu
non pacem ita, quasi nulla sit ang
stia quæ premat, nulla probatio q
affligat, sed pacem quæ ab hoste i
pugnatur, & non turbatur; quæ
probatione constans est, in tristib
læta, in angustiis animosa. Un
Christus datâ pace, manus & lat
ostendit; Manus, videlicet, quia
hac pace laborandum est; Latu
quia patiendum, quia tunsionibu

caribus, ac stimulis adversario-
m illud exponendum. Vis pacem
bere Anima mea? pacem Christi
quire. Pax verò Christi in patien-
& sufferendis adversis, non au-
n eis refugiendis est; non habet
risti pacem, qui adversis caret,
l qui in adversis gaudet. Affer,
omine Iesu, hanc pacem ad animam
am, ut sciat in quo perfecta sit læ-
ia, feramque fructum centesimum
patientia.

4. Ostendit manus & latus.

T viderent quod pro eis gessisset
& sustinuisset. Manus, ut scirent
in manibus esse scriptos; Latus,
viderent se in latere & corde
risti conservari, sibique illud tu-
mum ac paratum contra metus Iu-
orum, variorumque hostium insul-
, esse perfugium; juxta illud: Po-
me juxta te, & cujusvis manus
gnet contra me. Ostendit eis ma-
, creatrices, Redemptrices, re-
neratrices, auxiliatrices. Osten-
latus; indicans se verum esse A-
dam,

dam, qui ex latere suo formasset E
Sanctam Ecclesiam, ostendit ma
perforatas, ut Christo talia passo,
telligerent quid sibi Dei causa su
rendum laborandumque sit. Ost
dit latus, quod videlicet & ipsi
positu laterum suorum deberent
gloria Dei stare. Ostendit in ma
bus auxilium, in latere solatium.
stendit manus & latus; ô quan
thesauros! nunquam terra tales
dit. En anima mea fodinæ, en ve
eruere ne dubita, ditaberis.

5. Ostendit manus & latus.

CHristus Dominus in corpore
vulnera retinuit, multis de cau
1. Ut ostenderet, idem corpus re
vivum surrexisse, quod tanta nu
fuisset passum. Unde disces, Cor
non frustra atteri laboribus, cum
bori respondeat gloria. 2. Ut pa
ret, quanti suam Christus faciat p
sionem, cujus insignia in corpore
glorioso voluit conservare. Ut
Christi passionem disces æstimare,
eam, identidem piè ac religiose m
ditar

ari. 3. Ut horum vulnerum re-
ctu, Christus ipse novos semper
se erga nos amoris ignes excitaret;
mor videlicet, quod nostri causa,
lnera illa sint suscepta. Assuesce
go & tu, hæc Christi inspicere vul-
ra, ut nova semper concipias cha-
atis incendia. 4. Ut horum oppo-
io vulnerum, iram paternam miti-
ret, indignationemque ejus in ho-
ines emolliret. O Pie Iesu! quo-
es miser ego periissem, nisi me vul-
era hæc tua defendissent! 5. Ut ipsis
ulneribus, gloriosum suum corpus,
. hanc gloriam corpori, pro illis
ulneribus daret. O Beatæ cicatri-
es, quæ ad corpus honestandum as-
muntur! quæ pro ornamento glo-
osi corporis adhibentur! Ita novit
eus omnia nostra incommoda, in
ommoda & ornamenta convertere.
. Ut habeamus semper libros paten-
es Divini amoris, possimusq; lege-
e, & quantùm nos Deus dilexerit,
t quantùm ipsum diligere debea-
nùs. Etenim, quot sunt in corpore

Christi vulnera toties inibi scripta puta: Sic Deus dilexit mundum; diligite sicut dilexi vos; Ne avertas unquam oculos tuos à libris istis; multa enim disces si hanc scripturam disces. 7. Ut nobis præsidium & refugium relinqueret contra omnes hostium nostrorum infestationes, sive enim passionibus perturbaris, sive adversis vitæ hujus premeris, sive dæmon oppugnat, sive mentis cæcitas hebetat, sive te malitia pravæ voluntatis inquietat, sive tepor infrigidat, sive cupiditas versat, sive delictus arctat, omnium hinc malorum medicinam hauries. Hic quies habitat, hîc omnium securitatum sedes est, hic terror dæmonum evanescit, hic lux refulget, hîc oleum miserationis stillat, hic ferventis charitatis igniculi accenduntur, hîc omnium plenitudo bonorum, & omnium divitiarum thesauri continentur. 8. Ad æternam damnatorum ignominiam, Christus hæc sua servavit vulnera; ut visis iis, agnoscant in quem

pupu-

[c]upugerint, intelligantque, nullam [s]ibi salutis tamdiu spem fore, quam[d]iu vulnera illa in Christi corpore [i]pse vel inflicta, vel contempta man[se]rint. Exhorresce cor meum, & hoc [ta]m acceptabili tempore utere. 9. [H]æc vulnera horti nobiles sunt para[d]isi, poma nova & vetera continen[t]es: sunt cellæ vinariæ, quas ut in[t]res, præit Thomas ingrédere & ad [e]brietatem pota: Omnis in vini hu[j]us ebrietate temperantia. Omnis in [h]oc vino ebrietas salutaris. Sunt so[l]es totum cælum radiis suis illustran[t]es: pande itaque cor tuum, ut his [r]adiis illustreris, ut nubila cupidita[t]um dissipentur, ut paludes luxuriæ [s]iccentur, ut abscedant ignorantiæ [t]enebræ. Sunt fontes abluendis sor[d]ibus accommodati, levandæ siti [i]donei, rigandis plantulis optabiles. [S]unt succensæ fornaces, igne plenissi[m]æ: alges? accede, calefies, imò ar[d]ebis. Sunt apothecæ omnium aro[m]atum genere refertæ, odore beato [p]lenæ, ut mens inde recreetur abun-

de; Sunt ubera lactis, quo lact
tur infantes, cibo solido nondum i
nei. Curram mi Iesu post te, mei
uberum tuorum! Sunt apparatiss
triclinia; comede igitur fidente
ferculis istis, bibe avidè & larg
de vino isto, nulla metue venena
mnes cibi sunt antidota, sunt sani
saturari licet ad ingluviem usq
Non est hic panis arctus, non a
brevis, maria sunt ista, horrea s
ista, ut quid fame peris? quem ac
sabis si ad has mensas non acced
Sunt Gazophilacia unionibus re
tissima: quos uniones vis? acce
cape, habe. Etiam tibi dicitur q
Apostolo, Affer manum tuam, & n
te in latus meum: immitte in ma
meas, in pedes meos. Felix an
quæ his se ornamentis ornat, & c
spectui sponsi sistit! Sed in tanta c
varietate, quæris quid potissimum
ligas? si me consulis, nihil prius
cipiendum censeo, quàm ipsa vul
ra; hoc ornatu, hoc amictu, Chri
totus similis ero.

6. G

6. Gavisi sunt discipuli viso Domino.

Hristus manus & latus ostendit: Discipuli verò viso Domino gau-nt: tanquam dicat Evangelista; scipuli visis Christi manibus & la-e gavisi sunt. O quoties tu, & ma-s Christi in te vel aliis, opera sci-et Christi vides! amorem Christi ga te vel alios, non aure solùm, sed ulis etiam, & penè manu palpas, tamen, tantùm abest ut gaudeas so Domino, ut necdum authorem onorum cognoscas, illivé laudem ibuas, sed vel tibi arroges, vel ali-bona invideas, tristerisque de il-rum successu ac favore. Assuesce nare Dei dona, tam in te quàm in iis, pro iisque gratias Deo agere, pro augmento illorum ei suppli-ire.

7. Sicut misit me Pater & ego mitto vos.

) Jesu quomodo misit te Pater tuus in mundum? an in splendo-, pompa, sufficientia rerum, cum loria, laudibus, humanis? Aut, ad uid misit te Pater? an ad conqui-

renda terrena bona & regna? vero in humilitate, paupertate, c temptu, dolore, nuditate, ad quę das animas, ad faciendam volun Patris, ad viam vitæ docendam. C fer tu missiones tuas cum Christi n sione, & invenies te delicatum o rarium in vinea Domini.

7. Vidimus Dominum.

CHaritatis hæc virtus est, ut non contenta profectu, aliis co municet bona Domini. Videru Christum discipuli, & communica gaudium suum Thomæ. Disce & sine invidia communicare aliis bo Dei, modò circa superbiam.

9. Nisi videro non credam.

DIxisse debuerat Thomas; Si vid ro nō credam; nam cum quis v det, quid credit? Fides enim e rum est quæ non videntur, & argu mentum non apparentium. Talis al quando in iis fides est, qui miracul desiderant, cum tamen sine miracul credenda sint dogmata fidei. Infide les opus habent miraculis, Judæi quę

run

int signa, supra quorum corda ve-
men est. Ego verò, ô Domine, cre-
o omnia quæ revelas per Ecclesiam
am, licèt Angelus de cælo lapsus
ntrarium dicat.

10. Dominus meus & Deus meus.

Utinam hæc cordi meo hæreant
medullitus verba! ô utinam mihi
miliaria omni sint hora! Sive San-
issimæ Eucharistiæ communico, di-
am Dominus meus & Deus meus,
ve peracto aliquo opere bono, con-
udam, Dominus meus & Deus me-
 sit benedictus; sive ab alio, sive à
e quidpiam factum mali, illico di-
m, doleo quia Dominus meus &
eus meus est offensus. Permisit Deus
quid cladis, aliquid contra meum
sideiium, contra meam existima-
onem? Laudetur Dominus meus &
eus meus. Occasio sese offert pec-
ndi? Prohibet Dominus meus &
eus meus absit ut agam. O Domine
prime dulcissima hæc verba cordi
eo profundius, Amen.

DOMINICA II. post Pascha.

1. *Ego sum Pastor bonus.* Ioan: 10.

VEre bonus, quia cum non habu rit in mundo pascua suis ovib salutifera, panem de cælo illis pr stitit, dans illis propriam suam ca nem in cibum. Boni dicitur pastor esse, tondere pecus & non deglub re. Quantùm verò boni Pastoris er semetipsum & tondendum & degl bendum dare pro ovibus, imò t tum dare ovibus. Ecce sicut ov coram tondente se obmutuit, ita ctus est nobis, pro nobis in escam, proprio sanguine viveremus & co pore. Aperi oculos fidei anima me & Christum in Sanctissimo Sacr mento latentem intuens, dic; V rè tu es Deus absconditus, verè T es Pastor bonus! Benedic anima m Domino, & noli oblivisci omnes r tributiones ejus.

2. *Ego sum Pastor bonus.*

VErè bonus Pastor cui adeò curæ cord

rdi ſunt oves ſuæ, ut cum in mundo
n inveniret Paſtorem cui oviculas
mmitteret ſuas, ipſe de cælo de-
enderit, ad eas paſcendas. Unde
iam ſimilis illis incedit, ante ipſas
dit, dans eis in ſe ipſo exemplum.
itare ergo anima mea Paſtorem tu-
n. Quæ enim major oviculæ feli-
tas, quàm aſſimilari Paſtori ſuo?
uanta autem ſub hoc paſtore ſecu-
tas, ſi modò ovis ſe paſci ſinat. O!
æ profugis ab hoc Paſtore! Cogita
erò, Chriſtum etiam nunc hoc mu-
us Boni Paſtoris diligenter obire,
um tam frequenter oves ſuas viſitat;
artim in Sanctiſſimo Sacramento,
artim in inſpirationibus & ſolatiis
ternis, partim tribulationibus. Tu-
m munus ô homo eſt, ne te paſtor
uus aliquando vagam, erraticam,
iſcolam, ovem inveniat. Age ſi
oc articulo ad te veniret, qualem
e inveniret? num ſimilem iis quæ de
rege tonſarum ſunt, omnes gemellis
ætibus, & ſterilis non eſt inter eas?
An confractam an ſcabioſam?

3. Bonus Paſtor animam ſuam dat!

O Quantùm tu ab hoc boni Paſtor diſtas exemplari! quid labori: quid periculi, quid defatigationi: quid incommodi ſubis, pro anim: bus fratrum tuorum? Oves illæ ſun & quidem errantes; tu illarum ſa tem ex charitatis obligatione Paſto quid illarum cauſa agis? Si minuti ſimas commoditates negligere prc pter eas neſcis, quomodo animam pc nes pro illis? Et tamen ſi id nc facis, bonus Paſtor non es, Merc narius es.

4. Mercenarius.

O Te maledictum ſi mercenarius es non potes majus convitium à De audire, quàm ſi dicat tibi mercenar: us es, ſi propter quid terrenum De ſervis, ſi præeminentias quæris, non gratis Deo ſervis, ſi nihil labc ris ſubis, niſi ſimul aliquid tempc ralis proventus ſequi videas, merce narius es, Paſtor non es! O Deu: quid mihi eſt in cœlo. & à Te qui volui ſuper terram! Deus cord mei

ti & pars mea Deus in æternum. Nihil habeo in cælo aut in terra Deus meus, quod à Te velim mihi dari, nihil habeo quod velim accipere à Te, præter Te: sed Te solum volo, imò etiam (liceat dicere) nec Te volo, sed Te libens carebo, dummodo Tibi placeam, & aliquid in augmentum gloriæ Tuæ facere poſſim. Nihil enim tu mihi debes tui, & ego totum me debeo Tibi.

5. *Non pertinet ad eum.*

DE ſegnibus & pigris hoc dictum puta. Hi enim quoties ad curam animarum, ad excipiendas confeſſiones, ad habendas conciones, ad viſitandos pauperes evocantur, mox reſpondent: Non pertinet ad me de ovibus: Quoties amore obedientiæ ac ordine domeſtico aliquid agendum eſt, non pertinet ad me, aliorum, juniorum id eſt. Sed ô homo! quid dicis? nonne ad te pertinet de ovibus Jesu? tune negliges oves Chriſti? non curabis animas Crucifixi Sanguine, vitâ, morte redemptas?

ptas? & quid pertinebat ad Chri-
stum de Anima tua, pro qua ille to
fecit mira, tot pertulit dira, tot su
bivit abjecta & sua divinitate indi
gna? Non te miseret sanguinis Chri
sti, quem nequissimus Sathan in ani
mabus hominum calcat, & ad pœna
æternas rapit, facitq; fomentum igni
perpetuum, Sanguinem illum, qu
erat arrha vitæ, & salutis perpetu
officina futurus. O zelus meus! ex
pergiscere: en lupus, & hic mult
plex, qui rapit & dispergit oves: e
superbia, en divitiarum jactantia, e
opum cura, en Sanguis sanguinem t
tigit, & inundaverunt mala. en ath
opolitica, en hæresis, en Dei nome
blasphematur; ô pertineat hoc ad
cor meum! Domine forma me grat
tuâ, & Pastorem me fac tuum,
plurimos traham ad Te.

6. Cognosco oves meas.

CHristus ita cognoscit oves suas,
eas cognoscendo esse suas, sim
faciat suas. O si possem intellige
quid adhuc desit mihi, ut ovis Ch-
sti sim

ſim ! ô ſi poſsem cognoſcere, quid
cognoſci à Chriſto inter oves e-
! non ita curiosè alienas de me in-
irerem cognitiones ; ſufficeret mi-
à Deo meo cognoſci, interque
es ejus numerari, nec judicia de
: hominum curarem. Cognoſcit Ie-
s oves ſuas, & dat illis hoc, per
od ſint oves ejus. Vis cognoſci à
hriſto inter oves ejus? notas ovi-
n ejus aſſume. Hæ autem ſunt : Bo-
a agere, mala pati.

7. Non ſunt ex hoc ovili.

[Abesnè & tu oves aliquas quæ nõ
ſint ex hoc ovili Chriſti, quasque
adducere oporteat? mores tui in-
iſciplinati, paſſiones immortificatæ,
nſus tui adeo ſparſi & laxi, lingua
a garrula, judicium tuum adeò te-
ax & temerarium, ſuntnè oves ex
vili Chriſti? minime, quia nec ad
ſtitutum vitæ tuæ religioſæ. Quare,
portet eas adducere, imò jam opor-
bat dudum eas adduxiſſe, ſi verus
onusquè paſtor eſſe voluiſſes. Jam
aq; ſine mora adduc eas, ut ſit u-

num

num ovile, unum conformitate, un charitate, unum perseverantiâ. V de mi Jesu: alias oves habeo, qu non sunt ex hoc ovili, oportet te has adducere: Adduc ergo eas, sim totus tuus, & nihil sit in m quod sit extra ovile tuum.

8. Vocem meam audient.

O Quam vocem audient! Non v cem exasperantem, non verbu asperum, sed Vocem virtutis, V cem salutis, Verbum vitæ ætern quo in æternum pascentur & viver. Quando autem? nunc quidem e parte, mi Jesu, oves tuæ audiunt v cem tuam, ex parte custodiunt illar tum autem ex toto, & revelatâ fac cum dices illis: Venite benedict. O quàm beatus ero, si fuerint re quiæ seminis mei ad audiendam c ritatem vocis tuæ! Sonet vox illa t in auribus meis; Vox enim tua du cis, & facies tua decora. Tunc ve erit unum ovile & unus Pastor, tu vades ante oves tuas, & ipsæ ing dientur & egredientur post te, &

pasca

ſcua invenient ſemper, quia tu eris
ſtus ipſarum, de te, & gloria tua
tiabuntur, & paſcentur in æternum
que, & ultra.

DOMINICA III.
post Paſcha.

1. *Modicum & non videbitis me.*
Joan: 16.

VEre modicum eſt quin à nobis videatur IESUS. Modicum, ſiquiem ſpecies Panis, obſtat quominus pſa Divinitas latens cum humanita- videatur. Sed ô fides ſuſtine moicum; ſuſtine inviſibilem quaſi viens eum, ſuſtine latentem quaſi verè ræſentem? Ne triſteris, anima mea, uod per modicum non videas IEM tuum, ecce ſupplebitur damnum um, guſtabis namque eum, quem odicum non vides. Nunc enim avis ad tempus illius carere viſio-, cujus plenam accipis guſtatio-em. In tua, anima, poteſtate eſt, tanm guſtare quantum vis, dummodo ræparata accedas. Purga linguam,

acue

acue palatum & gusta. Quanqua
quid gustatione pensari visionem d
co? non pensatur sed gustatio pr
cedit; Gustate enim & videte
Psaltes, vis videre IESUM ani
serva ordinem. Gusta prius, ut v
deas? Non est enim cibus carnis
spiritus. Cibus quidem carnis pri
videtur quàm gustatur; Cibus ve
animæ, priùs gustatum quà re
detur, priùs sentitur quàm cog
scitur, priùs possidetur quàm vi
tur, nisi enim possideretur non vi
retur. Adeò sincere nobiscum a
Deus, ut priùs se nobis gustandu
quàm videndum tribuat; quo i
judicare probareque possimus, I
gnusnè sit quem videre desiderem
ad quem videndum aspiremus, o
losque nostros attollamus. Lau
ô anima mea, mirare, totique mun
& creaturis omnibus tantam IE
benignitatem prædica, redde te
totam, festinaque ad ipsum gust
dum & videndum.

2. Modicum & videbitis me.

Sus-

Iſtine Dominum anima mea, cu-
pisné diſſolvi & eſſe cum Chriſto ?
modicum & videbis eum. Premunt
afflictiones, ita ut vivere tædeat ?
modicum & videbis me; ait Domi-
nus. Modica tibi neceſſaria eſt pati-
entia. multas videris tibi injurias la-
boresque ſuſtinere ? modicum & vi-
debis me, ait Iesus, Pro iſto modi-
co, levi, & momentaneo tribulatio-
nis præſentis, æternum gloriæ pon-
dus habebis, id eſt, viſione Dei per-
frueris, IesumQue videbis. An ſuffi-
cit laboribus præmium hoc ? verè
modicum à nobis exigitur ut poſſi-
mus videre Iesum, Fac modicum, di-
cit Chriſtus, & videbis me, contende
modicum, eleva oculos, exi foras,
aſcende arborem ſycomorum, abi ad
diſcipulos & dic eis volo videre Ie-
sum: nonne iſta modica ſunt ? fac
illa, & videbis Iesum: modicum eſt
fides, modicum eſt amare Deum,
modicum eſt quod Dominus ait, No-
lite judicare, & illud; Quod ſupereſt
date eleemoſynam, & omnia mun-

da sunt vobis. Fac ista modica &
debis IESUM. O quàm modicæ
istæ sunt, quæ ad tam magnas perc
cunt!

3. Modicum & jam non videbitis me.

O! Si consideraremus quàm mo
ca ista sunt quæ nos à Deo sep
rant & avertunt, quæ nos à perfecti
ne vitæ & multis meritis retrahun
puderet sanè nos dementiæ illi
Contemne tandem anima mea mod
ca ista, eaque ut par est æstima. Pr
pter modicos defectus venialiaq
peccata aut omissiones levès, vi
Dei saltem ad tempus aufertur, arc
tur anima à complèxu dulcissimi
sponsi, aspersa pulvisculis istis. E
cute illos, & quantum potes, à veni
libus abstine.

4. Modicum.

MOdica creatura est quæ à Magn
Deo nos separat. Cogita totu
quod in mundo est, nonne modicu
est? Percurre omnia quæ sunt, v
vunt, sentiunt, intelligunt, nõne m
dica sunt? Percurre ea quæ ad splen
dorem,

lorem, pompam, honores, divitias, delicias, potentiam, majestatem optare possunt, nonne modica sunt? Teipsum considera quod es, vivis, sentis, intelligis, duras, quod possides, desideras, habes, nonne modica sunt? Dixit Psaltes; Verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens. Cogita tandem; Deum creatorem tuum, quantus ipse est? Et tamen si illa modica spernis, Deus se se tibi donat; si verò hæc modica amplecteris, Deus tibi se se negat.

5. *Modicum.*

MOdicum est vita mea: Ergo urgere perfectionem meam debeo. Modicum hactenus pro Deo, cælo, salute mea laboravi: Ergo dixi, nunc cæpi, & magnis passibus præteritæ negligẽtiæ damna pensare volo. Modicum sunt merita mea: Ergo non est unde superbiam, nec unde magnam mercedem exspectem. Modicum ferveo, & tamen hoc fervore in æternum fervere, & vigere, & vivere volo. Modicum roboris & virium

virium habeo, tam facilè pecco, qua facile spiro: Ergo cautè mihi amb landum: Ergo Dei auxilium jug ter implorandum est. Modicum va de est quo perdere cælum, mereri i fernum possum. Modicum est p quo cælum promittitur, quo cælu venditur, quo Deus possidetur: A ma, & habes eum. Quid faciliù quàm velle, quam amare? Amar nihilominùs dat Deus seipsum. Pro quantùm præmium, quam modico bore? Et tamen in hoc modico, p gri & infideles passim invenimu Modicum illud hominum est, qu in cælo est futurum, nam multi su vocati, pauci electi; quia pauci p cælo laborant, prout laborandu est. Illudimus Deo plurimi nuga tes, & quidvis aliud curantes f ventius quàm salutem nostram; qu loquor quoque de his, qui nulli a teri rei se vacare prætendunt qu Deo. Pauci salvandi sunt: Tim itaque Deum, etiam omnes Sanc ejus, etiam vos virtute potent, cu

um timore & tremore operemini
lutem vestram. Etsi enim magna
t misericordia Dei, & parata reci-
rè pœnitentes, attamen terret me
ritas ista, quia angusta est porta
uæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui
veniunt eam. Deus bone! pauci
nt qui inveniunt! Ergo fortè pau-
ores qui intrant: ergo fortè pau-
ores qui salvantur! Deus meus!
veni quidem portam, video me
se in via, sed da Domine intrare,
a progredi, da transire usque, in lo-
um tabernaculi admirabilis, usque
a domum tuam.

7. *Nescimus quid loquitur.*

Ncognita lingua videtur homini-
bus, quando illis dicitur, Modicum,
uando repetitur, modicum. Omnia
nim existimant magna, observant
t magna, deflent ut magna: ô stul-
i, modica sunt ista, imò ad vile nihi-
um tendentia; verum hoc non ca-
iunt homines, & dicunt, Nescimus
uid loquitur. Sic enim terrena cu-
rant, ac si Evangelio non crede-
rent.

rent. Sed verè nesciunt, quia ve-
ba medullitus non internoscunt, se-
sunque eorum non penétrant, nec i-
telligunt corde.

7. *Plorabitis vos, mundus gaudebit.*

AD oculum patent ista. Quis en-
contemnitur nisi servus Dei? Q-
deridetur, nisi justi simplicit-
Quis verò honoratur nisi ami-
mundi? At noli æmulari in ma-
gnantibus anima mea, Elige abje-
esse in Domo Dei, magis quàm ha-
tare in tabernaculis peccatorum. T-
bernacula enim sunt transitura, n-
domus æternitatis. Elige modicu-
hunc planctum, ut gaudium pos-
deas sempiternum. Sic enim ait v-
ritas: Tristitia vestra vertetur -
gaudium. Verè vertetur, & nu-
quam immutabitur: quia gaudiu-
tuum Deus erit, qui non mutatu-
quique nunquam recedet; à te, qu-
gaudium tuum nemo tollet à te, se-
erit Dilectus tuus tibi, & ad te con-
versio illius in æternum.

DC

DOMINICA IV.
post Pascha.

1. *Et nemo ex vobis interrogat me quo vadis?* Joan: 16.

Meritò Iesus conqueritur de iis, qui communicantes, eum non interrogant, Quo vadis? Quo vadis? atque nihil considerantes eorum quæ agunt, cum quo, aut quomodo agunt, Corpus Domini non dijudicant. O Domine quo vadis? ad quenè vadis? ad peccatricem creaturam tuam, ad fugitivum debitorem tuum, ad proditorem tuum, ad locum plenum fœtoris, squaloris, sordium, immunditiæ, vanitatis, superbiæ? O Domine! quo vadis? Da mihi, piè Iesu, penetrando cognoscere quo vadis, quando ad me in Sanctissimo Sacramento vadis? Sed adhuc interrogo Domine Iesu, Quo vadis? ad eum quem ad gloriam tuam creasti, ad eum quem sanguine tuo emisti, ad eum quem infinitis beneficiis singula momenta afficis? ad eum quem

quem de millibus in servum, in
scipulum tuum, in amicum, in sp
sam tuam elegisti. Rursum Domi
Iesu interrogo, Quò vadis? de
Patris, de gloria, de adorationib
& laudibus Angelicis vadis ad n
An sinus meus nobilior paterno s
an anima mea cælum? an cor me
gloria tua? an ego te puriùs cast
que adoro, quàm Angeli tui?
Domine Quò vadis? Sed vadis
tare pauperem, sanare infirmum,
lari mœstum, solidare confract
erigere jacentem, sustinere ruent
visitare hospitem, beare miserum
amo te mi Iesu, summum meum
num, & benedico pietati tuæ.
& tè interrogo ô homo, Quò va
an eò quo vadere debes? an ad e
qui te in mundum misit, ut salve
an ad eum qui te quærit, ut damn
vadisné ad eum statum, ad eam
gionem, ad quam vocaris, vel ad
locum à quo fugere deberes?
tuo opere quo vadis? Spectasne
um in eo & gloriam ipsius? an
q

d temporaneum? hac tua inconnti vivendi ratione quo vadis? perfectionemne? ad Deum? ad lum? an aliò? Cur non dicis intellui tuo subtilia magis quam utilia ærenti, Quò vadis? Cur non vontati falsa bona magis, quàm solida ærenti, & amanti Quò vadis? Cur moriæ Deum non memoranti non cis, Quò vadis? Cur non dicis jucis tuo aliena censuranti, sua verò udanti, Quò vadis? Cur non affeibus se immoderatè exerentibus, ir non oculis vanè curiosèque cirmspectantibus, cur linguæ murmunti, detrahenti, mordenti, invidenguIæ sese saginanti, deliciasq; aptenti non dicis, Quò vadis? Cur tequam quidquam proloquaris, nō cis verbo tuo, Quò vadis? Cur tentioni operum tuorum non dicis, uò vadis? Ecce via qua pergis prępitio terminatur, opera quæ exeres in ignominiam tuam desinent. ur salutis tuæ oblitus, tanto studio ivitias, voluptates, robur, poten-

tiam, ac vanitatem quæris? Quò
ctando ea, vadis? Alloquere insup
creaturas omnes, & quære ex iis, Q
vadis? Vita mea quo vadis? tei
pus, forma, species, doctrina, scie
tia, imperium, majestas, Quò vadi
O caro, munde, peccatum quò vad
in quid verteris? quò me pertrahi
ô æternitas quo vadis? quousque d
ras, quibus concluderis terminis!

2. Expedit vobis ut ego vadam.

SAnè expedit proximis meis con
munique saluti, ut ego proficiai
Mea enim obsistunt peccata, quom
nùs multorum à Deo per me proci
retur salus. Dic ergo proximis tu
in corde tuo; Nunc expedit vob
ut ego me privatim ad vestram salu
tem exerceam, olim meliùs procurar
dam. Expedit vobis, ut vadam pr
vobis exorare Dominum, ut me labc
ri, contemptui, inopiæ, confusioni
pro salute animarum vestrarum ex
ponam. Expedit vobis, ut sim vobi
exemplo bono, si sum vestrum ali
quibus occasio peccandi. Expedi
vobis,

[n]obis, ut me à familiaritate vestra [se]gregem. Expedit vobis sensus mei, [p]ro mea, ut vos duriùs in hac vita [tr]actem, ut vobis meliùs olim sit in [fu]tura: quoniam tantùm in gloria [pr]oficiemus, quantùm in hac vita no[bi]s ipsis vim inferemus.

Si ego non abiero, Spiritus Sanctus non venict ad vos.

[V]Ide quàm difficile sit & animæ & corporis suavitatem simul habere, [qua]m Corpus Christi videri & simul [Sp]iritus Sanctus haberi non possint. [D]espice ergo bona transeuntia & vi[s]ilia: Despice voluptates & solatia [ex]terna, ut experiri possis interna. [Ta]ntùm proficies, quantùm tibi vim [int]uleris.

4. *Multa habeo vobis dicere.*

[P]Aratus est Deus tibi multa darè, [s]i tu solummodo paratus esses acci[pe]re; Tolle impedimenta, tolle ex[ter]na onera. Quomodo enim terre[nis] onustus desideriis, portare pote[ris] cælestes thesauros? Melle implen[du]s es, at si aceto es plenus, quo mel

repones? O te ſtultum ſi terre
poſthabeas cæleſtia! Quid prod
tibi ſi univerſum mundum lucrer
animæ verò tuæ detrimentũ patiar

5. Non loquetur à ſemetipſo.

SPiritus Sanctus non loquitur à metipſo, tu autem ſi quid boni ædificationem profers a temetipſo ctum putas? ô pudor! Spiritus S. alieno ſumit, tu te ſufficientem e ſtimas: ex te, tanquam ex te aliqu cogitare poſſe putas; non ex Spir Sancto hoc eſt: is enim de alie loquitur; at ex ſpiritu maligno, l enim de proprio loquitur, unde continuò mendacia loquitur. O Eccleſia illis abundaret prædica ribus, qui non a ſemetipſis loqu tur, ſed quaſi ſermones Dei. Da n hi mi IESU, ut nunquam à memeti loquar, ſed quæcunque à te audia hæc loquar & enuntiem aliis.

6. Non loquetur à ſemetipſo.

NUm neſcit a ſemetipſo loqui? tique ipſe eſt, qui arguet mundu qui convincet mundum de pecca

de ju

justitia & judicio: numnè ergo pro semetipso loqui nesciet, qui etiam alium convincet? Num à semetipso loqui non licet? nempe; mihi vindictam, & ego retribuam, ait Dominus. Nescit mansuetudo Christi defensionem, nescit à se ipso, pro semetipso loqui, unde & Jesus in judicio tacebat, nec se defendere volebat.

7. *Arguet mundum.*

DIgnus mundus qui arguatur; Dignus quoque ille à quo arguatur. Quis enim veracior Spiritu Sancto? Quis nequior mundo? mendax est mundus, & à quo mendacii convincendus est? nonne & omnis homo mendax? ô Sanctissime Spiritus, qui solus verax es, veni, & convince mundum mendacii sui, argue eum peccati, quod facit; argue eum justitiæ, quam non facit; argue eum judicii, quod non reformidat.

8. *Ille me clarificabit.*

NOlo me clarificet os hominum, lingua mendax, lingua adulatoria,

ignara quid lateat in homine; Ille
clarificabit aliquando, qui solus
ritatis lucem inaccessibilem inha
tat, & in cujus dextera sunt hono
O utinam, homo, solius ejus clari
tione contentus, omnes laudes hu
nas, omnes reputationes vanas
spicias! ô utinam quoque in o
opere bono, hoc solum mihi sol
um sit; Ille me clarificabit. Val
censuræ hominum, valeant laudes
rum, Deum specto; Ille me clari
bit.

DOMINICA V. post Pascha.

1. *Creditis quia à Deo exivi.* Joan: 1

CRedimus etiam hoc mi Iesu
à Deo exisse; quia Te præsen
in Sanctissimo Sacramento credin
agnoscimus, & supplices te ad
mus, amamus, ac sumimus. Exîsti
mirum à Deo, ut nos duceres ad
um: Exîsti à Deo, ut nos donis d
res Dei: Exîsti quidem olim ab æ
no à Deo per generationem ætern
exi

isti in tempore per Incarnationem, nunc exiisti per Sacramentalem pa- in Tuum verum corpus transub- ntiationem. Credimus hoc totum Iesu, quia nemo potest hæc signa ere, quæ tu facis, nisi à Deo sit ressio ejus. Præsta itaque dulcissi- Jesu, ut Pater tuus amet nos, ia tu dixisti Apostolis tuis; Ipse ter amat vos, eò quod me amastis, credidistis quia à Deo exivi. Cre- mus & nos, & amamus te, & deside- nus te suscipere in Sanctissimo Sa- a-mento. Amet nos Pater tuus, & fficit nobis.

2. *A Deo exivi.*

St quod miremur, quod amemus, & quod gratias agamus. Exivit erbum æternum à Patre secundum rsonam Divinam, egressio admira- lis: Exivit à Deo ad naturam hu- nam in Incarnatione, egressio ama- lis; & omnibus hominibus utilis; ivit & sub specie Panis; ad quem? te ô homo! unde? de cælo in ter- m. Ad quem? ad hominem pecca-

 torem;

torem, ut cibus tuus fieret, ut in maneret. Quid ages ô homo? mi re, ama & gratias age.

3. *Amen, amen dico vobis.*

ASseverationem tam gravem cor dera. Sine dubio enim Christi s mo verus esse debet, & res quæ p mittitur magni momenti. Si qu inquit, petieritis Patrem dabit. N hil hâc denuntiatione majus, ni utilius, nihil liberalius; nihil ô mo excipitur; Pete cælum, pete g tiam, pete gloriam, pete quodvis num, pete ipsum Deum, omnia promissa sunt. Si quid petieritis: omni dubitatione hæc promissio a na est: dicitur enim Amen amen ab eo qui mentiri non potest D Sume ergo animum, ô homo, & p quia parva sunt quæ petis, & mi promissis: Fons manat, quin bi thesaurus patet, quin ditescis.

4. *Si quid petieritis.*

PRopterea nihil impetras, quia ni petis; pete aliquid & obtine Dicitur enim; si quid petieritis.

i verò petis, quando ad oratio-
n imparatus venis; nihil petis,
uando ad mentem voluntatemque
i non petis; ſed modo amorem &
itiam hominum, modò laudem, a-
que his pejora petis & vaniora;
! utinam apprehendamus, à Deo,
e Quid petendum, nó Nihil. Ipſe
im, Nihil nobis dare, non poteſt:
m Nihil, non factum ſit ab illo, &
ne ipſo ſit.

5. In nomine meo.

IN commemoratione videlicet no-
minis mei, in vi ſanguinis mei, in
eritis, in humilitate, & virtute obe-
entiæ meæ, quâ obedivi Patri meo
que ad mortem. In nomine meo,
quaſi mihi non vobis petite; fa-
liùs enim Filio indulgebit Pater.
liqui in nomine ſuo petunt; in no-
ine ſcilicet propriæ voluntatis; qui
quæ petunt, ſic & non aliter, hoc
non alio tempore fieri volunt,
ræſcribentes legem Deo. Quia, li-
èt non ſint aliqui ita expreſsè ani-
iati & diſpoſiti, tamen reſignati &

indifferentes non sunt in manus P
videntiæ Divinæ. Petendum in
mine Iesu, quia hoc nomen super
mne nomen est, in quo nos om
salvos fieri oportet. Hoc nor
Christo dedit Pater, ut in illo o
genu flectatur: non ergo leve du
in hoc nomine Iesu petere. Cert
re magna petitur, quia in præ
Christo à Patre dato petitur.
mines, magnorum laborum præ
servant, ea sola de causa, quod
gno sint labore parta & maximè
Rege sint collata: Quantùm au
Christus laboravit? & pro his la
ribus cunctis, præmium à Patre
lesti accepit Nomen suum: Hoc
mium contulit nobis Christus, &
dit tanquam in usuram, ut cum e
cedentes ad Patrem, oppignore
ei cum opus est: eâ tamen lege,
ut nos illi, sed ut ille nobis usu
solvat. Gratias tibi, mi Iesu,
hoc liberali dono Nominis tui,
frequenter eo fænerari. Est enim
donum. Da mihi, dulcis Jesu, hoc

rio

ſum donum, nomen tuum Jesu, di-
: venerari, devotè colere, arden-
amare. Homines communiter o-
ia nomine alicujus faciunt, præ-
untque operibus ſuis nomina ſua,
artifices, Sculptores, architecti,
incipes, rebus à ſe erectis, nominis
auctoritate excuſis, ſcriptores
ntibus librorum ſua apponunt no-
na; quibus ſignificare videntur,
od ea omnia in ſuo faciunt nomi-
. Jesus verò omnibus ſuum vult
æfigi nomen, omnia vult ſuo nomi-
fieri, omnia propter nomen ſuum
petrari: vultque nos docere,
nnia nonniſi propter ſe ſuaque me-
ta nobis dari. Hinc agnoſce quan-
reverentia & amore nomen Iesu
proſequendum, in quantamque
us venerationem, apud omnes pro-
ovendum: cum in tantum Iesus no-
en ſuum amet, ut nec vitam, nec
rpus, nec animam ſuam, nec vulne-
ſua, tantùm amet. Omnia enim
lverſa in eo nos pati jubet, omnia
eo nobis impetranda promittit, o-

mnia contraria superanda, & dæm
nia in eo ejicienda prædicit.

6. Usque modo non petistis.

HOc fortè singulis nobis dictum p
temus, qui potiùs in nostro, qu
in Jesu nomine, potiùs in nostris m
ritis confisi, quam Christi, De
oramus. Erubescamus de hac p
sumptione, & Christo ejusque no
ni hanc prærogativam tribuam
omnia in eo à Deo postulantes; m
ximè conscii, nos nostro nomine f
stra omnia petere.

7. Petite & accipietis, ut gaudium ve strum sit plenum.

PRimus sensus est; si vultis gaudi
vestrum esse plenum, petite:
Scitote, quid petere debeatis; n
aliud quàm hoc, ut gaudium vestr
plenum sit, & gaudium vestrum
mo tollat à vobis. Quod idem c
eo est; Quærite primum regnum l
& justitiam ejus. 3. Nihil est pe
ctiùs, quàm cum petitio nostra
tendit Christum: tunc enim v
gaudium nostrum erit plenum, q
peti

petita noſtra obtinebimus. 4. Hæc orationis eſt excellentia, ut qui ei apprimè deditus eſt, gaudium plenum ſemper habeat.

8. Ut gaudium veſtrum ſit plenum.

& noli tardare, sit Templum tuu
Domus Orationis, Domus laudis,
te jugiter cor meum laudet, dicatq
Tibi Faciem Tuam Domine requ
ram.

Causæ fletus super Civitatem.

1. Flevit JESUS quia miserico
est, & miseriam magnam Civitati
esse & tum impēdere vidit.

2. Flevit IESUS quia voluit oste
dere Civitati, & cuivis peccato
quid illum oporteat deceatque fa
re, scilicet, videre se, & flere sup
se,

3. Flevit Iesus, Fatales istæ Christi lacrymæ, & ominosæ omniumque instar pænarum. Væ Regno, Urbi, Animæ, super quam cadit Christi lacryma. Est enim signum induratæ, & solam tantùm pœnam exspectantis, misericordiæ locum jam non habentis animæ, (non quod non possit ad Deum converti si velit, sed quia nolit) & ejusmodi plane, ut Deus nolens & flens cogatur tamen punire illam. Talis fletus fuit tempore Nòë, quando Deus tactus dolore cordis intrinsecùs dixit: Pœnitet me fecisse hominem, delebo hominem de terra; talis illa fuit misericordia apud Isaiam: Misereamur impio, & non discet justitiam, Verè etiam talis fuit fletus Dei evidenter, quando è templo ejecit vendentes.

4. Flevit Jesus super publica peccata; quorum hæc natura est, ut postquam invaluerint semel, corrigi non possint, nisi populorum internecione. Per historias sacras profanasque hoc videbis; publica peccata,

extremis & communibus malis cla-
dibusque esse piata. Pœnitentia
egerat Ninive, sed non diu rediit a
ingenium, tandem periit. Et sar
quem corrigas, quem moneas? I
publicis peccatis, omnes peccan
nullus non peccat. Hinc fletus Chr-
sti, quia publicâ calamitate erat pu-
niturus publica scelera. Cupiisse
leniùs, si salvâ justitiâ & remed
efficacitate potuisset; non potuit
flevit.

5. Flevit Jesus. Ultimum quipp
remedium peccatorum sunt Chris
lacrymæ. In Cruce moriens, pro pec-
catis ultimum sacrificium obtulit, la-
crymas clamoremque validum.

6. Flevit Iesus. Cum lacrymi
nimirum rogat peccatorem, ut con
vertatur; Credo Deum lacrymatum
tunc esse, cum dixit, Quare moriemi
ni domus Israël?

7. Flevit Iesus, tota quippe urbs
imò gens peribat. Gaudium est Chri-
sto super uno peccatore pœnitenti-
am agente, quidni sit fletus supra o

nni populo impœnitente ?

8. Flevit Iesus, non flebat Civitas lla super se, imò ridebat: Ergo flet Christus. Sic insani scilicet solent ridere, at sani solent flere, eorum insaniam videntes.

9. Flevit Iesus, Contraria studia sua Studiis peccatorum ostendens illis, uter justiùs ac prudentius? redo facilè tibi suspectum esse rim peccatoris, super quem Christus lacrymatur.

10. Flevit Iesus, non solùm supra zarum, sed & super Civitatem, ut cere Pharisæus posset; Ecce quomodo amabat illam! vel non potuit c facere, ut hæc non moreretur & riret? seu (in proposita causa,) non tuit facere ut viveret?

11. Flevit Iesus, magno scilicet nstabat Civitas illa Christo, deò vit. O quanti constat anima! flet riſtus super animam, toties quos Sacramentalem gratiam, suique guinis meritum illi offert, & flet 1 lacrymas, sed sanguinem, sed

corpus, ſed merita ſua illi fundendo

12. Flevit IESUS ſuper caput Patriæ ſuæ, ſuper Regum ſedem, ſuper locum honoris Dei, ſuper Sacratiſſimam mundi partem, quæ enim mundi pars à Deo in tantùm fuerat nobilitata, ut Hieruſalem? non e ignobile quod flevit IESUS.

13. Flevit IESUS, non externa Urbis ſpeciem intuens, ſed intimu ſtatum intra ſpectans; ita etiam, nc plagam exteriorem, ſed interiorei æternæ reminiſcens imminere, flev neque enim de bobus aut de Saxi cura eſt Deo, ſed hunc jubet timei qui occiſo corpore mittit in Gehennam.

14. Flevit IESUS, indicans ſe nolle mortem peccatoris, & hoc fletu pr dens illud. Nunquid voluntas meæ eſt mors impii: Si volo mort impii, cur fleo, dicit Dominus.

15. Flevit IESUS. Non enim Dei cauſa erat tam extrema abject & derelictio tamdiu dilecti popu Perditio tua ex te Iſraël, tantûmo ex me auxilium tuum.

16. Fl

16. Flevit Iesus. Quia consummata malitia Civitatis, non recipiebat misericordiam & medicinam. Flevit ergo, non quia miserebatur, sed quia misereri se non posse videbat, & dolebat. Tam bonus est nimirum Iesus, ut fleat doleatque, si cujus misereri non possit! Et hinc est quod puniat infra condignum, etiam damnatos.

17. Flevit Iesus! quia magnum in animabus jam jam redimendis illi damnum imminebat, ideò flet tantam, tanti pretii laborisque jacturam.

18. Flevit Iesus: quare & vos ô Collaboratores Christi non fletis super Civitates tanta in eis delicta cernentes? super Pagos & Castella, tantam in illis Dei ignorantiam advertentes, exemplum vobis dat Christus; non corriguntur ad clamores vestros urbes, flete super eas, incurabilis facta est plaga earum, flete super illas, vestrum hoc est officium.

19. Flevit Iesus, ne nimium gra-

ve foret Paulo & Pauli similibus obſecrare unumquemque cum lacrymis ad ambulandum dignè Deo, a ſtandum in fide. Non primus hoc fecit Paulus, fecerat ante Chriſtus en flet ſuper Civitatem, non parci lacrymis. Quis credat, Chriſto in animarum cura & conquiſitione usque ad lacrymas ventum iri? Ventum; quanti ergo labores pro animarum ſalute ſubiri debent ab hominibus ad eam curam à Chriſto deſtinatis Deſiderium convertendæ Hieroſolymæ, lacrymas ciet Chriſto, & non ciebit mihi ſalus animæ ſudorem? quis det in hoc miniſterio emori, prius vitam, quàm animarum cura linquere.

20. Flevit Iesus quia perſuaderi voluit nobis fletum. Eſt autem Sapientis dictum; Si me flere cupis, flendum eſt tibi protinus ipſi.

DOMINICA X.
post Pentecoſten.

1. *Deus gratias tibi ago.* Luc: 18.

Quid

QUid enim agam aliud, quàm offeram tibi hoſtiam laudis & gratiarum actionis de manu inguæ meæ, ſi tradidero omnem ſubtantiam meam tibi, Tu bonorum me. rum non eges, quia Deus meus es u, & minor ſum omnibus beneficiis uis, ſiquidem omnis ſubſtantia mea, anquam nihilum ante te. Tu ſcis Domine quia ſic eſt prout loquor, & me magnificavero ampliùs, ecce tu ontra me. Nihil ergo ego, Tu auem Deus magnus Domine, & magnicatus vehementer. Et tamen quia enis ad me in Sanctiſſimo Sacramen, communicaſque te mihi largiter, quum eſt ut reſpondeam Tibi, non men ex æquo, quia non poſſum; nõ meo, quia nihil ſum, ſed ex dono atiæ tuæ, gratias agens animo huili, corde puro, affectu verecundo, ente ſincera, & ad Te ſolum Deum nverſa. Mi Jesu excipe â me viimam Gratiarum actionis, quàm fert tibi vilitas mea. Venis ad me? ratiæ tibi; manes mecum? Gratiæ

tibi; facis Te cibum? gratiæ tib[i]; communicas mihi non solùm do[na] Tua; sed etiam Te ipsum? gratiæ t[i]bi. O Anima mea quandoquidem [co]gnoscis te, in veritate, esse nihil, [&] nullo modo parem, dignamque d[o]nis Domini Tui, indue saltem aff[e]ctum hunc grandem, & Deo place[n]tem Gratitudinis, ut memoriam su[a]vitatis Christi eructare frequent[er] possis. Delectatur enim Domin[us] tuus donis istis Paupertatis tuæ.

2. Deus propitius esto mihi.

ES propinquus mi Jesu, esto & pr[o]pitius, es intimus, & mihi pla[ne] inviscceratus, aperi etiam viscera p[ro]pitiationis & misericordiæ Tuæ, [ut] parcas peccatis meis, & sanes mi[se]rias meas magnas, & multas nim[is]. Non habeo precem aliam quam fu[n]dam Tibi, quàm ut conscius pec[ca]torum meorum, confitear adver[su]m me iniquitates meas, & loquar am[ari]tudines, dicamq; Propitius esto p[ec]cato meo.

3. Duo homines ascenderunt in templu[m].

Co

COnsidera Scopum Parabolæ hujus expressum , in verbis , hoc Evangelium præcedentibus, quæ sunt ta-ia, Dicebat autem ad quosdam qui n se confidebant tanquam justi, & ispernabantur cæteros, parabolam stam &c. His enim verbis indicatur copus, quem Christus in hac parabo-a prætendit, non esse aliud, quam nostram malitiam, exitium, vel sup-plicium; nec non genera filiosque su-perbiæ explicare, omnibusque ob o-ulos proponere, & ad fugam dete-tationemque ejus inducere. Prima gitur superbiæ malitia est & filia, Confidere in se. 2. Iustum se putare. 3. Cæteros aspernari; horum vitio-um Christus exprimit, impuden-iam quia tam liberè cum Deo agunt. 1. Nequitiam, quia licet Deo pro uis operibus gratias agunt, ea tamen ibi attribuunt, & ex iis se efferunt. 3. Stultitiam, quia ipsi laudes suas decantant, cum exspectare debue-int dum à Deo laudarentur. 4. Cæcitatem, quia se cum pejoribus

comparant, at ad meliores non atten-dunt. 4. Pœnam quia cum se extol-lunt, humiliantur; & dum de San-ctitate superbiunt, à sanctitate desti-tuuntur. Detestare ergo superbiam, metire te tuo pede, nosce teipsum, tibi attende, neque tibi facile cred-as, aut blandire quia pravum est cor ho-minis, ejusque via quæ videtur homi-ni recta, novissima autem ejus ducunt ad mortem. Est etiam qui se nequi-ter humiliet gratias Deo agendo, in-terim tamen interiora ejus plena sunt dolo, alteri se præferendo. Ad hæc melioribus te compara, nec hoc tan-tùm specta quod habes, sed quod nondum es assecutus. Scito quod multa tibi desunt, quod is quem tu malum putas, si hanc gratiam habe-ret quam tu, multis te superaret. Quare noli elevare caput, si justus es, gratia Dei es, quod es.

4. Non sum sicut cæteri hominum.

HEu quam incertæ cogitationes ho-minum! quam periculosum aliis censurare; Quod majus periculum

quàm

quàm eo ipſo, quia Pharifæus Publicanum damnavit, ipſe damnatus eſt, rejecit Publicanum, rejectus eſt à Deo. O Superbia quàm facilè, quam alta dejicis! o Humilitas quàm facilè erigeris! Memento Anima mea totius formidandæ periculoſæ parabolæ. Qui ſtat videat ne cadat. Verè qui cadit, Domino ſuo cadit, potens eſt autem Deus, ſicut & te imò plusquam te, imò abjecto te ſtatuere illũ. Quid enim an non ſurrexit homo pro Lucifero, David pro Saule, pro Juda Matthias, pro Phariſæo Publicanus, pro Iudæis Gentes? Tu ipſe recordari potes, quoties in idipſum quod modò in aliis culpabas, ſtatim in idem incidebas. Fuge ergo cenſuram aliorum, & dic tibi, Quid ad te!

5. *Publicanus autem à longè ſtans.*

Quare à longè? quare nolebat? nẽpe ſe noverat, ſciebat in ſe nihil boni, ſciebat multa mala, ideò à longè, ideò nolebat, quia verecundiâ prohibebatur. O verecundia quanti apud Deum es? omnia impetras, Publica-

blicanum præ Pharisæo justificas! n
audes cælum intueri, & cælum pe
netras! à longè stas, & Deus ad t
accurrit. Disce, Anima mea, vere
cundiam istam. An causam non ha
bes verecundandi? toties fracta fi
des, tanta defædatio, tanta vilitas
cum tanta majestate, pulchritudine
fidelitate composita, non meritò ru
borem incutiunt?

6. Deus propitius esto mihi peccatori.

COnsidera hujus orationis valoren
Hæc unica, plus valuit apud De
um, quàm omnes Pharisæi tot, tan
tæque justitiæ. Tanta est vis ejus,
cum humilitate (uti hîc) conjunga
tur, ut potuerit Publicanum justif
catum in domum suam remittere. Cō
sidera præterea ejusdem necessitatē
semper enim tibi est necessaria, si v
justus, sive sis injustus. In quovis c
pere, meritò dicere potes debesque
Deus propitius esto! Justus es? a
potes quolibet momento peccare
Fuisti aliquando peccator? dic erg
Deus propitius esto. Peccator es
tantò

tantò frequentiùs repete, & humiliùs verecundiusque usurpa, Deus Propitius esto mihi. Sit ergo frequens oratio hæc in ore & corde tuo, cum Spiritu humilitatis, verecundiæ, & contritionis conjuncta; & pudeat te tam frequenter hanc orationem usurpare, nec tamen eundem effectũ, quem obtinuit Publicanus, referre.

7. *Omnis qui se exaltat humiliabitur.*

ELatio & Exaltatio fructus humilitatis sunt; Depressio, & Abjectio, fructus, vel pœnæ potiùs superbiæ sunt. Quantùm teipsum dejicis, tantùm te Deus extollit; quantùm teipsum evehis, tantùm te Deus dejicit. Vis cadere? erige te, cades. Vis erigi? abjice te, stabis. Si te sponte exaltas, invitus humiliaberis; si te sponte humilias, invitus extolleris. Vide jam igitur, præstetné humiliari an exaltari à te ipso? præstetné exaltari vel humiliari te à Deo? Si te Deus extollit, nemo te humiliabit. Si tu te ipse humiliaveris, Deus te exaltabit, si tu te exaltaveris, Deus te de-

te deprimet. En optio, elige; Vit
& mors, gloria & confusio, in man
tua. Hoc scio, in multitudine verita
tis effatum est, Omnis qui se humi
liat exaltabitur, & qui se exaltat hu
miliabitur.

DOMINICA XI.
post Pentecosten.

1. *Bene omnia fecit.* Marc: 7.

QUomodo non omnia bona f
ceret Bonitas? Opera Creati
nis, Opera Redēptionis, ope
glorificationis, bene omnia fecit,
ipsum attende, quid in te fecit, qu
non bene fecit. Singulos dies rec
le, quos tibi bonos, in quibus be
tibi non fecit? quid longè abea
hodiernum vide diem, an non be
tibi fecit omnia, qui se tibi fecit
mnia? an non omnia, qui & cibu
& potum? descendit usque ad g
stum, usque ad palatum tuum, & n
fecit se omnia, non bene fecit omni
Mi Iesu, fac in me bene & bona
mnia, quia facis bona omnia: & qui
fec

fecisti te mihi benè omnia, sis tu mihi bona omnia. In me autem sint tibi omnia, ego autem inter omnia, & bene omnia. O Anima mea quid torpescis? procumbe ad pedes Iesu, & pete, ut in te bene faciat omnia. Multa tibi bona desunt? faciat illa; multa bona sunt, sed non bene? faciat bene, multa mala sunt, faciat non esse & faciat bene, & cum hæc fecerit, dic illi jugiter in corde tuo, Bene omnia fecit.

2. Apprehendens eum de turba.

VIde quot quantasque Christus cerimonias adhibuerit in hujus surdi & muti curatione. 1. Apprehendit eum. 2. Educit de turba. 3. Mittit digitos in auriculas. 4. Expuit & tangit linguam ejus. 5. Suspicit in cælum. 6. Ingemit. 7. Ait Epheta, hoc est, mandat ut solvatur vinculum linguæ auriumque ejus. Ex his disce, quam sit difficilè hominem qui obmutuit & obsurduit in Anima, revocare ad loquelam & auditionem. Uno verbo, quam difficile sit animam pec-

catri-

catricem convertere, ita ut verè di[...]catur, opus hoc dexteræ Excelsi[...] Ubi & gratias ages Deo, qui te eru[...] tanta cum difficultate à cæno impr[...]bæ vitæ, & timebis ne tuo vitio, n[...]gligentiaque ac torpore, & ingrat[...]tudine incídas in surditatem & o[...]mutescentiam spiritualem, ut tibi ne[...] orare, nec legere, nec loqui libe[...] pia. Tum verò & hinc cognosce[...] quâ patientiâ opus habeat is, q[...] alios ad bonum promovere cura[...] non succedit semel? tenta iteru[...] modus unus non est efficax? adhi[...] alium, non potes sermone cum ips[...] conare oratione ad Deum: non au[...] ille? Deus audiat te pro illo: non g[...]mit ille super se? geme tu pro illo[...] cælum, & cave Christi sanguine r[...]demptum negligas, & de illo des[...]res. Vide potiùs, ne in te culpa [...] quominus aliquid efficias in hujus [...]lute.

3. *Adducunt ei surdum.*

QUæ est ista surditas? Sanè si om[...] Christi actio, nostra est Insti[...]

ti[...]

tio, & morbi omnes corporum quos Christus sanasse legitur, typi sunt Animæ morborum, surditas ista surditatem Animæ denotat. Surda est anima, quando vocem Exactoris non audit, fitque sicut homo non audiens & non habens in ore suo redargutiones. Surditiem causant duo, vel enim læditur organum vel oppletur auris Animæ, & respiratio cordis, vel potiùs cor ipsum, juxta illud, Ducam eum in solitudinem & ibi loquar ad cor ejus? Qui igitur surdus est in anima, corde surdus est: surdus autem corde, quia læsum est cor. Porrò cor læditur, quando à Deo avertitur, & creaturæ adhæret magis quàm Deo. Quod fit per peccata lethalia. Læsio quippe cordis lethalis est. Atqui oppletur cor, quando per negligentiam & torporem foventur in eo levia peccata, nociva desideria, libertas conversationis, evagatio sensuum, incuria cogitationum, carnis commoditates, hæc enim sensorium cordis ita opplent, ut sonus

nus audiatur nullus. Tu nunc jam inspice, læſam an oppletam habes aurem Animæ, & juxta ceremonias Chriſto hîc adhibitas curationẽ facito.

4. Adducunt ei ſurdum.

QUi non audit, vocem utique loquentium non audit. Vox enim objectum auditûs. Conſidera ergo varios, qui perpetuò ad cor Animæ clamant, nèc tamen illa ipſos audit. Loquitur conſciẽtia propria, & quidem efficaciſſimè ac pertinaciſſimè, quin & veraciſſimè, cui non os claudi, cui nihil falſi objici poteſt; ſola ſurditas opponi valet; Loquitur autem; Peccaſti, Deum iratum habes, occidiſti animam, in dæmonis poteſtate ſervis, infernus habitatio tua eſt, age pœnitentiam; Loquitur Deus; Revertere Sunamitis, reverter ut intueamur te, ut Pater per ſuam omnipotentiam te convertat, Convertere ad Dominum Deum tuum, ut Filius te ſuo ſanguine lavet; Spiritus S. ſuo lumine illuſtret, & charitate inflam-

flammet. Loquitur Angelus, Usque-quo perges thesaurizare tibi iram in die iræ? an ignoras quia benignitas Dei, te ad pœnitentiam adducit? nũ divitias bonitatis ejus cõtemnis? quousque piger dormies? quousque non surges? quamdiu erit Cras Cras, quare non modo? quare non hodie, quare non hac hora finis turpitudinis tuæ? Loquitur propinquus tuus Clamans, Miserere animæ tuæ placens Deo, dans eleemosynam ut omnia munda sint tibi. Loquitur omnis Creatura, Accipe beneficium, Redde debitum, Fuge supplicium. Hæ sunt voces; quas anima surda non audit; & quia non audit, non novit; & quia novit, perit. Considera ergo prædictarum vocum pondus, & acquiesce consiliis earum.

5. Epheta.

) Quoties inclamatur tibi à Christo, Adaperire. Stat ille ad ostium & pulsat, ut si fortè adaperias, intret & cœnet apud te. Clamat, Aperi mihi soror mea sponsa, aperi mihi ô Anima,

nima, quæ etsi sponsa sis, sororis tame
instar haberis; Ecce cincinni m
rore sunt pleni, ecce venio donis
miserationibus onustus, ecce made
sanguine totus, quem pro te effud
Ecce oleum effusum nomen meur
idcircò adolescentulæ diligunt m
Ecce ego unctus oleo præ consor
bus, & nomen mihi Christus: unct
sum unguento quod descendit usq
in oram ipsam vestimenti: Adape
re ergo, quid obducis pessulum fo
bus? aperi, mihi, ô! Beati servi il
quos quotiescunque venerit Dom
nus, etiam in 3tia vigilia tamen inv
nerit vigilantes, ita ut cum pulsav
rit confestim aperiant illi! Tales
ne animæ, velut prudentes Virgin
ingrediuntur cum sponso ad nupti
nec illis claudetur janua, sed seque
tur Agnum quocunque ierit. At
quid ad hæc anima mea? Ecce sp
sus tuus laboravit clamans & sus
nens, raucæ factæ sunt fauces ej
servorumq; ipsius. En dicit; qu
potui ultra facere vineæ meæ? clam

ri, pulſavi, vocavi, & non reſpondit
mihi; non aperuit mihi; dicit Do-
minus. Similis factus ſum pueris in
foro ſedentibus, & canentibus, &
tandem dicentibus, Cantavimus vo-
bis & nõ ſaltaſtis. Exurge ergo tan-
tem, & attende Dominum claman-
tem, adaperire, quouſque clauſus
eris Deo, quouſque non parebis in-
ſpirationibus vocibuſque Domini
tui? Ecce niſi Dominus cuſtodierit
civitatem fruſtra vigilat &c. Domi-
nus eſt, Clavis David, qui aperit &
claudit. Tolle tua oſtia quæ Deum
excludunt, dæmonem malum inclu-
dunt, tolle inquam hæc, & accipe o-
ſtium bonum; en ait: Ego ſum oſtium,
per me ſi quis introierit, vitam re-
periet non mortem: non enim per
me intrat mors, cum ego nolim mor-
tem peccatoris, ſed intrat per feneſ-
tras veſtras. Hoc oſtio, quod ego
ſum, domos veſtras munite, & clau-
dite, ſi cuſtoditas habere vultis. O
felix anima! quæ Deo clauſa eſt, cu-
jus oſtium Chriſtus eſt; ſed eſſe non
poteſt,

potest, nisi aperuerit Deo, & se eju voluntati tradiderit.

6. Loquebatur rectè.

ECquando tempus illud erat, ô A nima mea, quo tu loquebaris rectè Væ mihi! quia vir pollutus labiis sur ego. Consummatio malitiæ lingua ex ore tuo te judico, ait Christus, & Ex verbis tuis damnaberis. En quo anni sunt ex quo Religionem ingres sus es, & nondum loqueris rectè Audi ergo Apostolum concludenten Qui non refrenat linguam suam, hu jus vana est Religio, quid ergo pro dest Christum sequi, si non contin gat consequi? quid juvat esse Chri stianum, esse Religiosum, si non con tingat esse cum Jesu? Loqui verò re ctè, quid est? Loqui de Deo, lo qui propter Deũ, loqui cum Deo, lo qui ante Deum, loqui pro Deo, lo qui placentia Deo.

7. Adducunt ei surdum & mutum.

QUàm multi sunt in toto orbe sur di & muti! quàm multi sunt qu Evangelium erubescunt, licèt eju

Præ-

ædicationem vitâ, officiis, benefi-
o titulo, veste, instituto, voce, ju-
mento, præferunt, tam multi omni-
sunt muti. Canes muti non valen-
s latrare; Ecce parvuli petierunt
nem, & non erat qui frangeret.
tam multis Regni partibus, tam
ulta barbaries est, Dei & Christi
norans, nec est qui doleat super
ntritione Joseph. Dicit S. Ioannes,
quis audit, dicat, veni: de Chri-
etiam scriptum; Hæc dicens cla-
bat, Si quis habet aures audien-
audiat; de eodem David locutus:
omine labia mea non prohibebo,
scisti. Isaias quoque dolet, di-
ns: Væ mihi quia tacui. Ingemi-
huic penuriæ, condole tantæ mi-
iæ hominum, quia non est à quo au-
nt veritatem; non est, qui testi-
nium perhibeat ipsis de verita-
Pete tu à Christo Domino, qui de
pud Pilatum dixit, Ego in hoc
us sum, & ad hoc veni in mun-
m, ut testimonium perhibeam ve-
ati; ut ipse quoque te in hoc na-
tum

tum esse velit, ut testimonium verit
ti ejus perhibeas, velitque te e
vas Electionis, ut portes nomen ej
in gentibus. Sed ex parte alia mul
est surdorum major multitudo, n
gisque deflenda negligentia vel stu
titia vel malitia de qua quæritur I
ias & ipse Christus, Domine quis c
didit auditui nostro? Cecinimus v
bis & non saltastis, ploravimus &
flevistis nec audistis. Quò fit, ut
tanta fidei Christianæ claritate,
sint Hæretici Athei, Schismatic
Ethnici; Quo item fit, ut in ta
Concionum Concionatorumque c
pia & cura, nulla pænè, aut ce
rara sequatur morum emendatio
populis. Orabis ergo intensè, &
denter, & frequenter Deum, ut ape
at aures populorum ad audiend
sermonem ejus, utque non grav
auribus suis audiant, nec obdur
corda, si hodie vocem ejus aud
rint, sed potiùs semen verbi Dom
cum gaudio excipiant, cordeque
ro & perfecto ferant fructum ce
simum.

8. Adducunt surdum & mutum.

COnsidera quàm multi muti surdique sunt inter eos, quos minime tales esse oportebat. Quæritur Deus apud Isaiam, Quis surdus nisi servus meus? & quis cæcus, nisi ad quem nuntios meos misi? quis mutus in laudibus meis, nisi is qui se servitio meo devovit? Conscientiam tuam in hoc inquire, quàm elinguis es in orando, quam mutus in meditando, quàm surdus in audiendis Dei inspirationibus. Dole super cordis tui duritiem, & emendationem fervoremque propone.

DOMINICA XI.
post Pentecosten.

1. Beati oculi qui vident. Luc: 10.

PEr omnem modum planè beati qui IESUM vident fide vivâ in panis specie, qui vident in pane Carnem, in orbiculo immensum, in Creatura Deum & Hominem. Beati qui vident & penetrant acutè dignitatem ejus, & ad redamandum illum to-

tis feruntur viribus. Beati qui vidè desiderium illius, quo nobis conju gitur & ad ejus complexus toto c pore anhelant. Beati qui vident qu ille sit, quo dignus sit, quantùm nostri causa demittat, & quid c tra, ipsi in ejus comparatione si quid illi debeant, quid causâ illi agere & audere debeant. Beati q vident divitias ejus, & promptitu nem Animi, cum qua paratus est b na sua nobis largiri, nostrisque mi riis succurrere, & qui vicissim tot se ei pandunt, omnesque illi nece tates suas fidenter aperiunt, de g tiis ejus copiosè sumunt & ditantu O Anima mea aperi oculos ad ist & hanc tibi benedictionem ne in v de. Christus est, qui hæc vident pronuntiat beatos, illi crede.

2. Beati oculi qui vident.

BEati vocati sunt Apostoli qui Ch stum viderunt in carne; at etia Christus dixit, Beati qui non vid runt & crediderunt. An non Beat qui in historia tantùm Evangeli

Chri

Christum contemplantes, omnia ejus opera amant, mirantur, omnes ejus gestus motusque indagant, & in se exprimere contendunt? an non beatus, qui in paupertate & Christi videt divitias, toto mundo potiores? an non beatus qui in castitate conjugium, in patientia gaudium, in cruce voluptatem, in contemptu gloriam videt? Beatus planè per omnem modum! atque ut credas, Christus gratulatorium occinit, Beati oculi qui vident. O! quam multi hæc oculi non vident, etsi aliàs oculatissimi sibi videntur; abscondita enim sunt hæc à Sapientibus prudentibus, revelata autem parvulis. Gratias tu age Deo, qui tibi hoc dedit, ut audires vocem & converteris, & videres, roga autem ut id ipsum tibi opere exequi donet, ne scienti bona, & non facienti, peccatum tibi sit.

3. Quid faciendo vitam æternam possidebo?

O Quàm utilis quæstio! ô quàm rara in mundo! quàm etiam (si forte ali-

tè aliquomodo incidit) in reprobu
retorqueri ſenſum ſolita! Ecce i
patet in hoc legis perito, qui util
quærit, ſed non ad utilitatem, veru
ad tentationem, tales deſcribit Ap-
ſtolus alicubi: Semper diſcentes
nunquam ad ſcientiam veritatis pe
venientes. Sunt enim quidam, q
ſe ſcire velle ſimulant, ut ſcioli v
deantur, ignorantiam prætendun
ut ſcientiam oſtendant. Sed quàm r
ra eſt hæc quæſtio, res clamat. Qu
enim homines quærunt? alius a
quæritque, Quid faciendo, illud a
teri eripiam? Quid faciendo, qu
rit alter, illum in hoc impediam
quid faciendo illum ulciſcar? qu
faciendo illum pervertam? quid
ciendo gratiam hominum acquiram
opes conſervabo &c. quæ omnia in-
tilia ſunt, & creberrima tamen ſu
Nemo quærit, Quid faciendo vita
æternam poſſidebo? Corrige error
Anima mea hunc in te, ſi eſt: ſi n
eſt, gratias age Deo, & ſeriò inqu-
re atque exequere, quid faciendo
ta

am æternam poſſideas ; videque ſe-
iò, an ſic faciendo ſicque vivendo,
rout nunc defacto vivis & facis,
Regnum cælorum poſſidebis.

4. Diliges Dominum Deum tuum.

HÆc eſt Superioris Quæſtionis adæ-
quata ſolutio. Ecce plenitudo le-
is eſt, Dilectio ; ecce qui diligit, le-
em adimplevit, qui autem non dili-
it manet in morte. O quantum ad
itam æternam compendium. Dili-
e! Noli facere miracula, noli crea-
e mundos, noli loqui variis linguis,
oli ſtupendas facere eleemoſynas,
ortificationes, Dilige & fac quod
is, & vitam æternam poſſidebis.
ec dubita, ait Chriſtus, hoc fac &
ives ; Quid faciliùs quàm diligere?
oluntatis hæc actio eſt, voluntas li-
era eſt ; & quid faciliùs èo quod
berum eſt? O amare, ô ire, ô ſibi
erire! ô ad Deum pervenire! per-
eniſti ſi Deum & Chriſtum dilexi-
i.

5. Homo quidam deſcendebat.

HUnc hominem te eſſe intellige, Sa-

maritanum puta Christum, Stabulun puta Religionis statum, qui tui cu ram suscepit, qui vulnera vitæ sæcu laris, alligat suavitate, solidat vin disciplinæ, & oleo charitatis fove O quid dabis huic Samaritano ! quantùm debes stabulo, ne per t inquinetur, ne disciplina illius tu dissolutione labefactetur, ne ex e tanquam incurabilis, & pestile æger pellaris ejiciarisque.

6. Samaritanus autem quidam:

SAmaritanus tu esse debes, idq tuum Institutum à te exigit. Ple misella, similis est ei qui incidit in l trones varios curarum sæcularium Semiviva est, vix enim quidquam dei emicat in illa, jacet in multitud ne peccatorum, transit Sacerdos, t sit & Levita, negligit oves sibi co missas. Quid ages Samaritane? D errantes in viam confractum soli alliga vulnera, effunde vinum ve tatis, junge oleum commiseration impone jumento tuo, pænitenti age pro populis, eorumque pecc

dev

evora. Duc in stabulum Ecclesiæ, dei confessionis. O quanto ea res ibi merito, quantæ saluti, dummo-o ne torpescas, ne evanescas à dæ-nonio meridiano! Scito animas il-is Christi Jesu sanguine redemptas, niserè à latronibus tractatas, tibi oncreditas. Curam illius habè. Le-e charitatis & instituti. Ne parce umptui, ne labori; quicquid super-rogaveris reddetur tibi. O super-rogaveris, quis te apprehendit, uàm pauci, quàm raro! An tantis xcusationibus ac tantis querelis, ardationibus plena esset Domus cum onfessiones audiendæ, cum infirmus deundus, cum proximus juvandus, um excurrendum, cum in dies ca-hechisandum est, si istud superero-averis, nobis bene cognitum esset? ade ergo anima mea, fac similiter, ccende in te zelum Animarum, & mni ratione cura ut aptum fias in-trumentum Dei ad proximorum sa-utem, quod fiet doctrinâ solidâ, nultâ virtute, ferventi charitate,

jugi oratione, profundâ demiſſion
tui contemptu; vade fac ſimiliter.

7. Diliges Dominum Deum tuum.

EX iſtis verbis collige, totam v
tam tuam, totam ſubſtantiam tuar
totam curam, cogitationem actione
que tuam eſſe debere Amorem, Dil
ctionem, Charitatem; Et quamv
hoc plenè in hac vita eſſe nequit,
parte tamen ut fiat curandum. A
quando Deum dilige actu, aliqua
do intentione, aliquando virtut
ſemper habitu. Amorem tuum
hanc libellam erige. Ex toto cor
tuo, Ex tota anima tua, Ex omnib
viribus tuis, Ex omni mente tua. N
li credere tibi ſuperficialiter tantù
attendas amorem tuum, experire
lum quam facilè delinquis, quam f
cilè ad creaturam te convertis, quà
facilè rebus levibus turbaris, quà
impotens es, ſi quid magis heroicu
agendum, ſuſtinendumvé quàm m
leſtè fers ſi non ad votum ſuccedu
omnia, ſi quis indiſcretiùs moroſiu
que te habet?

8. Dil

8. Diliges proximum tuum ſicut te.

AGe, amorem tuum hìc proba quantùm te, quantum alium diligis; quàm facilè tibi parcis, teque apud te excuſas, quàm libenter audis, ſi de te bona ſit apud alios opinio, quàm indignaris te contemni? facis hoc ipſum proximo tuo? quid multis? ſi non ſicut te diligis, non diligis; præceptum ſic ſonat.

DOMINICA XIII. poſt Pentecoſten.

1. Cum ingrederetur caſtellum occurrerunt. Luc. 12.

INgreditur hodie Jesus caſtellum tuum Animam ſcilicet tuam, in Ieruſalem ſe putat ire, omnia putat digna ſe, Civitatem Sanctam arbitratur, & ecce leproſi iique decem occurrunt. O fraudem! ô injuriam! ſicine recipitur Chriſtus? Leproſus Intellectus, leproſa Memoria, Voluntas, Iraſcibilis, Concupiſcibilis, Viſus, Guſtus, Tactus, Auditus, Odoratus. Quorſum intras Domine Iesu?

leprosis hic plena omnia, hic lepr
cæcitatis, malitiæ, oblivionis, Super
biæ, Amoris proprii, vanitatis, Ser
sualitatis, mollitiei, tepiditatis; fru
stra ad hanc ficum accedis, fructibu
caret. Ah quanta mihi erubescen
materies, & qui tantùm leprosus su
& tam pridem, & in eo loco, & ta
ta habens ad munditiem auxilia,
toties mundatus? Quanquam tu
cor meum neque in tanta calamita
animæ tuæ spem abjice, sed lepros
rum istorum turbam, Christo in Sa
ctissimo Sacramento objice venien
& à longè quidem, sed tamen in
culis statue, ut eum ad misericordia
flectas, oculosque benignitatis ej
ad te convertas, si fortè misereat
miseriæ tuæ, & dicat tibi, Surg
vade, fides tua te salvum fecit.

2. *Occurrerunt ei decem viri leprosi.*

IN lege antiqua conspectum hor
num fugiebât leprosi, in Lege Ch
sti, Christo occurrunt, non enim
nit Christus in servitute Mosaica,
venit quærere, & salvum facere qu
perie

perierat. Aſpice miſeros iſtos homines, à longè ſtantes, humiliter clamantes, Iesu Præceptor miſerere noſtri. Vide & Benigniſſimum, eos amantem & miſericorditer intuentem, ad Sacerdotes ablegantem, intus verò jam ad eorum ſe mundationem accingentem Jesum, & diſce, quàm diverſi ſint Christi mores à tuis. Ille nullum aſpernatur, nemini ſe taciturnum moroſum, triſtem exhibet, non conqueritur de intempeſtivo occurſu, tandemque Chriſti affabilitatem & manſuetudinem imitare.

3. *Qui ſteterunt à longè & levaverunt vocem.*

IN lepræ remediũ, occurrère Chriſto, ſtare à longè, levare vocem: Occurrit Chriſto qui lepram agnoſcens, remedium ab illo quærit. Stat à longè, qui cum timore & reverentia humilli cogitat, quantùm inter ſe & Deum interſit, & profundè ſe abjiciens, cum Publicano verecundo pectus tundit. Levat vocem, quæ non ore, ſed mente, ſed affectu, vim facit

Christo, gemituque ac suspiriis fle-
ctit misericordiam ejus sibi. Aspir-
sic, ô Anima mea, ad Jesum, humili-
te, abjice, & dic, Jesu; Præcepto-
miserere, vides lepram quoniam mu-
ta est, sana.

4. IESU Præceptor miserere.

SI Jesus Præceptor, tu ergo discipu-
lus; ô qualis ille Præceptor, qual-
tu discipulus! quàm ille abund-
præceptoris fungitur officio! qua-
tùm tu officio discipuli indormi-
Etenim, quantùm profecisti per t-
annos in Schola Christi? Quod Ch-
sti, non dico consilium, sed præc-
ptum imples perfectè? quæ in-
Magistri similitudo, quantùm ti-
sapit ejus doctrina de Paupertat-
de Obedientia, de Castitate, patie-
tia, amore inimicorum, nec doct-
na solùm sed etiam exemplum? q-
ergo fronte Jesum appellas Præc-
ptorem, siquidem agnoscis te e-
non discipulum.

5. IESU Præceptor.

PRæceptor, dictus est à præcipie-
d

do, vel à præcapiendo, vel à præincipiendo. Eſt enim Præceptoris, & præconcipere quæ docet, & præcapere, & ipſum incipere. Atque talis fuit Præceptor Chriſtus, Non enim ſolo verbo, ſed etiam facto docuit, omnium præceptorum ſuorum dans nobis exemplar in ſeipſo: Cœpit Jesus primùm facere & docere. Tu ergo ſi Chriſtum agnoſcis Præceptorem, fidenter ejus præcepta diligenterq́; ediſce, ſciſcitare exempla. Quodſi etiam poſuerunt te fortè cuſtodem in vineis, & fecerunt Præceptorem aliorum, conſtitueruntq́; ſuper Gentes & Regna, ut evellas, & diſſipes, & deſtruas, & ædifices, & plantes, quæris autem quî id facies? Audi, proximum, Cæpit Jesus facere, poſtea docere: dans utique exemplum tibi. Quid enim tu audeas docere alios, quod non facis? Hypocrita, ejice primùm trabem ex tuo, ut feſtucam videas in oculo alieno, Inſpice ergo in Præceptorem Jesum, & Patri Æterno gratias age, quod talem

tibi

tibi dederit præceptorem. Statue præceptis ejus exactè obedire, revoca tibi illa in memoriam, & cum te alios docere oportebit, contende lucerna esse, non lucens solùm, sed & ardens.

6. Ite ostendite vos.

NE videaris verbo tantùm agnoscere in Christo auctoritatem Magistri, Ecce statim Jesus præcipit, Ite. O quàm sæpe à Deo postulas virtutem, cujus quando tibi Deus exercendæ occasionem subministrat, mox resilis à præcepto, ostendisq; frustra te Christum Præceptorem vocatum, nec purè fuisse cordi imitationem Christi, aut virtutis professionem. Semper igitur quando à Christo donum petis virtutis, protinus ad ejus te exercendæ occasionem præpara, imò illam inquire & arripe.

7. Ite ostendite vos.

POtuit Christus mundare leprosos absque hoc Ite, sed quia exigebat cooperationem eorum in sanitate sua, ideò dixit Ite, & ostendite vos. Nu

tu

tu ergo gratis te ſperes Sanctum futurum: ora & labora; Vim patitur Regnum Dei. Patet quidem cælum, ſed anguſtam habet portam, & per arctam ſemitam contendendum eſt. Poterat adhuc Chriſtus leproſos mũdare, at volebat legem ſervare, quæ jubebat ut leproſi, qui lepram depoſuiſſent, Sacerdoti ſe ſiſterent probaturo, an verè lepra periiſſet; & ſimul Iesus & præceptũ implet, & fidem obedientiamque leproſorum probat, quos nondum mundatos, ad Sacerdotes pergere jubet, tanquam mundos, quia interim dum irent, mundati ſunt. Diſce hîc tu obſervationem legum tuarum, & earum quæ parvæ videntur: quæ etſi parvæ videntur & ſunt, ſi tamen ſerventur, lepram detergunt, ſi non, lepram advocant. Vim etiã obediẽtiæ agnoſce. Quare tu in obedientia vivens non es mundus, nec hactenus planè mundatus? quia tardus es, murmurans, examinans, nunquam ſimpliciter & exactè obediens.

8. *Dum*

8. Dum irent mundati sunt.

HÆc est ad perfectionem via certis-
sima. si stare appetis: mundari no
vis? deficere vis, imò deficis. Vi
mundari? Christus ne salutari qu
dem jubet quenquam in via, adeò it
neri vult esse intentos: tu stand
mundari vis? aut te, aut Christu
falli necesse est.

9. Unus ex illis ut vidit.

O Quàm pauci, Domine Jesu, do
tua agnoscimus! decem munda
unus vidit, unus rediit, extollit v
cem ex decem unus. Omnes clamav
runt, Miserere nostri; unus clama
Gloriam habe. Et tu, anima me
nonne ex centum beneficiis vix
num agnoscis, vix pro uno gratia
habes, refers? O quam sumus pii du
malis premimur! erepti autem n
videmus, nos ereptos esse. Non
dubium, & reliquos vidisse, qu
mundi facti essent, attamen vel co
tempserunt Donum Dei, vel grati
agere, redireque pigritârunt. Si ca
sam quæris, quare unus tantùm redi
puto

uto ego quia unus tantum verè le-
ram cognovit: nam ex mali cogni-
ione, & boni æstimavit qualitatem;
uàm multi sunt qui in Confessione
iundantur, & pauci deinceps emen-
antur, dantque Deo gloriam; qua-
e? idcircò, quia fæditatem pecca-
orum non agnoverunt, nec verò pro
lis doluerunt, ideò & remissionis
onum non magni æstimârunt.

10. Nonne decem mundati sunt.

Unt quidem bona Dei sine pœni-
tentia apud Deum, attamen ita De-
s odit ingratitudinem ut doleat se
enefecisse ingratis. Audi dolentem;
Ion est inventus qui rediret, & da-
et gloriam Deo, nisi hic alienigena.
. hæc vox non est dolentis, nulla
st. O si verba perpendas singula,
uam dici posset verum esse illud à
hristo dictum; Publicani & mere-
ices præcedent vos in Regnum
)ei. Quantò enim homines se mise-
ores esse, vel fuisse agnoscunt, tan-
ò pluris æstimant gratiam Dei; con-
ra verò, quibus sua miseria ignota
est.

eſt. Deo ingrati ſunt; Horreſce ergo ingratitudinis vitium & ſæpe Deo gratias age.

DOMINICA XIV. poſt Pentecoſten.

1. Nolite ſoliciti eſſe Animæ veſtræ quid manducetis. Matt: 6.

QUis eſt homo qui vult vitam, & diligit dies videre bonos? hoc Evangelium præſens legat, attendat, impleat. Adimit ſolicitudo vitam: Spiritus triſtis exſiccat oſſa, amarum faciunt vivere curæ? Ecce his omnibus liberat nos Deus noſter, amantiſſimusque Pater: Nolite, inquit, ſoliciti eſſe animæ veſtræ quid, manducetis; neque corpori quid induamini, ſcit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis, & quia ſcit, dat affluenter, nec improperat, dat ſicut Pater filiis, ſicut Paſtor oviculis, ſicut bonus Patronus pupillis; Ne longè abi anima mea; eſcas tuas tibi ab hoc Patre præparatas, inque conſpectu tuo menſam poſitam conſidera, quàm

quàm nobilis, quam lauta, quàm instructa sit hæc Sanctissimi Sacramenti mensa? quo non abundat ferculo? quibus caret deliciis? omne delectamentum suavitatis in se continet. Regale quippe convivium à Rege Regibus institutum, Angelis invidendum, & quid ad hoc, ô homines! dicitis? quare animæ vestræ sitiunt vehementer? en potus, en cibus, en convivium, en cœna magna, en nuptiæ filii Regis, a Rege Regibus institutæ? Si quis sitit, veniat & bibat: nolite Soliciti esse Animæ vestræ quid manducetis, sed potiùs quomodo manducetis. Ut sit quid manducetis, Pater cælestis curabit; ut vos dignè manducetis, vos curate.

2. *Nemo potest duobus Dominis servire.*

COgita tibi à Christo Domino dari optionem eligendi Dominum cui servias, quem velis: è duobus unus eligendus est, hâc lege, ut quàm primùm uni adhæseris, alteri statim inimicus hostisq; fias, illum contemnas odioque habeas. Unus ex his Domi-

nis,

nis, est Christus, alter Diabolus. Elige quem horum velis; in manu tua est eligere. Et verum quidem est; quod si naturam si obligationem, si promissionem spectas, Deo servire debes, si autem voluntatem propriam liberamque respicis, potes diabolo adhærere; Si Deum sequeris, nihil te beatius, nihil te dignius, si diabolum, nihil miserius. respice nunc quæ te optio decet.

3. Nemo potest duobus Dominis servire.

DOminus Deus te totum sibi vult, ideoque dicit, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. ut scias, divisum cor, Deo cordi non esse: sed ita Deum resolutum esse, ut totus, aut nulla ex parte ejus sis oportet. Ille totus est Dei, qui servit Deo soli; qui nulli rei Deum postponit, nec Deum propter ullas humanas rationes offendit; Claudicat in utramque partem, qui Deo & creaturæ servire vult. Noli errare, sed veritatem audi, Nemo potest duobus Dominis servire. Mentitur qui posse

posse utrumque dicit; cælestia gustare, & carnalibus non carere, impossibile; nulla est lucis & tenebrarum conventio; nulla carnis & Spiritus concordia; inter Christum & Belial, Arcam & Dagon pax nulla, totum ergo te Domino Deo trade.

4. *Aut enim unum.*

ECce qui amat Creaturas, odit Deum. Imò, Ecce amor Creaturarum odium est Dei, & amare has, est illum odisse. O quàm verè dictum Qui vult esse Amicus hujus mundi, inimicus Dei constituitur. Et, Si adhuc hominibus placerem, Servus Dei non essem. Miraris quod cælestia tibi gustare non datur? Si aceto plenus es, ibi mel pones? vinum novum in utres veteres non mittitur. Subjiciaris Deo, ut subjiciatur tibi caro; nam si enuis tu Deo, nequaquam subjicietur tibi caro; pacem fac inter te & Deum, ut detur tibi possidere terram uam, hæc est enim beatitudo pacifica.

5. *Aut enim unum odio habebit.*

Con-

CONditiones hominis aliquot in h[oc]
Evangelio describuntur. Prima e[st]
quod sit Servus. Non enim hom[o]
planè liber est, sed conditus est, ut
um necesse sit alicui esse Subditu[m].
2. Quod unius tantùm Domini s[er]-
vus sit, Dei scilicet vel Diaboli; D[ei]
vel mammonæ; utrique servire n[on]
potest; tum quia unus homo est, t[um]
quia Domini sunt sibi oppositi
contrarii. 3. Quod ad nullius c[o]-
gatur servitium, sed liberè utrumq[ue]
eligat sibi, licèt uni servire teneat[ur],
sitque de salute ejus, alteri autem s[er]-
vire, sit ejus pernicies. 4. Quia [te]-
netur amare Dominum cui serv[it],
ibi enim non dura necessitate ser[vi]-
tur, ubi diligitur, & qui jubet,
quod jubetur. 5. Quia oportet
lum mores Domini sui sustinere,
stem illius & insignia circumfer[re],
per omniaque Domino suo conf[or]-
mari. 6. Quia debet de merce[de]
sua non pacisci cum Domino, sed e[am]
de manu ipsius exspectare, fidereq[ue]
ipsius liberalitati & fidei Deus er[it]

tal[is]

alis est Dominus, ut nolit servum de mercede cogitantem, sed gratuitum, & tamen gratis nolit sibi servire. Diabolus contra, promittit & pacicitur cum servis suis de mercede, illit tamen semper, nec eam præstat ed sola spe pascit usque ad mortem; t videri potest in avaris, in ambiosis &c. Has conditiones tibi aplica, & ut iis cum salute tua responeas, elabora.

6. Nolite soliciti esse.

HÆc est vitæ religiosæ fortuna, Nolite soliciti esse. Quid te turbat in eligione, quia solicitus es de te, de impertinentibus ad te? Permitte regi ab his, quibus commisisti te, ojice in Deum, projice securus, n se subtrahet. Quid in te stas, & n stas? Si millies Dei circa te prodentiam expertus non es, ne Deo ede; sin autem, etiamne Deo fidere bitas? Vide quàm amanter tecum at Pater tuus! videt te tristem, manchohcum, anxium en blandiens, Nolite soliciti esse, scit enim Pater

ter veſter, quia his omnibus opus h
betis. Quid vis ampliùs à Deo? e
go omnem ſolicitudinem projice
eum cui cura eſt de te, imò de omn
bus etiam minimis. Perſuade tib
Deum Sapientem eſſe, Bonum eſſ
Potentem eſſe, magìs quàm te; Si S
pientior, melius noſcit, quæ tibi e
pediunt, quàm tu, crede illi: Si m
lior eſt, igitur meliora tibi cupi
quàm ipſe tu tibi: Si potentior te e
Ergo faciliùs tibi quæ vult dare p
teſt bona, quàm tu. Quare fide il
& committe te illi. O providenti
quàm ſuavis es illis, qui te exper
non negligunt. Hæc eſt una ad p
cem via Conſideratio Providen
Dei, & fiduciæ in ea collocatio.

7. *Nonne anima plus eſt quam eſca.*

O Sic in omni cura carnis tibi reſp
de, Nonne anima plus eſt quàm
ſca? Appetit illicita otioſa, levi
dic, Nonne anima plus eſt quam
ſca? quid? an decet fovere carn
corruptibilem, & malè facere anim
pro qua Chriſtus mortuus eſt? &

Quar

Quam dabit commutationem homo pro Anima ſua, quandoquidem Deus ſanguinem dedit pro illa? Nolite ergo ſoliciti eſſe, dicentes; Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt, & illi qui ſpem alterius vitæ non habent.

8. Conſiderate.

Cibus animæ Conſideratio, doctrina, lux, ſalus, vita, occupatio, quies animæ. Vis diſcere multa, vis vitare pericula, vis ſcire agenda, non agenda, vis noſſe modum omnium, vis prævidere imminentia? Conſiderate. Quare tam frequentia peccata, turbæ, inquietudines? non eſt conſideratio. Conſidera, provide, non erunt, Totius mundi eſt vox iſta, Conſiderate, periimus, nos manent cæleſtia, vos quoque moriemini, exſpectat vos futura vita, ardor inferni æternus eſt, moriendum eſt; diabolus circuit quærens quem devoret, Severè Deus judicat, tam multi quotidie pereunt, in momento

mori possunt, isti quos sperno me- liores me sunt; Considerate, vi- late, orate, attendite, Nolite fi- sicut equus & mulus, quibus non intellectus.

9. Nec Salomon in omni gloria sua.

O Vanitas mundi! quæ a lilio & ... no tota vincitur! quis credit? ... cit Veritas. Dic quid vis munde ... stima te quomodo vis, falleris; un... lilium tuam gloriam vincit, Chri... asserit, Veritas dicit, Crede. Sed ... effabile argumentum Bonitatis D... Nec Salomon in omni gloria ... coopertus est sicut unum lilium. Il... ra comparatio & magnifica, & ... lis, qualem nec Salomon in omni ... pientia sua reperisset, adeò lucule... est. O quanta est pulchritudo tua D... mine! quàm pulcher es, qui tam p... chra facis! O quantæ sunt divi... Tuæ Deus, quas hominibus larg... paratus es! non es dives in homin... qui tam dives es in flores! Et n... servies illi cor meum totum? non ... fides per omnia? non illi te comm...

te

tes regendum universum? ô projice te in Deum & Deo dona te ipsum.

DOMINICA XV. post Pentecosten.

1. Ibat IESVS in Civitatem.

ADverte mirum eventum, Jesus ad urbem, adolescens ex urbe; Vita ad portam accedit, mortuus è porta Civitatis efferebatur. Cedit vitæ, an obviat? credo quod vel nefas putet mortuum jacere isthîc, quo veniat vita, vel certè longum videtur exspectare dum veniat in Urbem Vita, sed obviam fertur venienti, ut quàmprimùm vitæ restituatur. Et fortè ideo ultrò accedit ad loculum, qui ad Lazarum nonnisi rogatus, non nisi deductus accessit. Placet enim Christo in mortuis desiderium & cursus ad vitam. Quid tu Anima mea? n Jesus intrat portas tuas. Effer mortuos tuos obviam Vitæ venienti, t vivificentur à facie Vitæ; quia uæ conventio Vitam introducere, & mortuos retinere? Mortuus tuus,

unicus tuus eſt, Cor tuum unicum mortuum Cor eſt, ſi diviſum eſt Diviſum eſt cor eorum, non eſt i conſpectu eorum, nunc interibun ajunt hoſtes hominum in Pſalmo. partiris Cor inter Deum & Creatu ram, mortuum habes, & quomod Chriſto obviabis? quomodo illu recipies? O Jesu qui filium unicu Viduæ ſuſcitaſti, ſalva animam m am, & libera eam à morte peccati, iræ tuæ, ut non ampliùs dicam, Ad leſcentulus ſum ègo & contemptu ideoq; efferor extra portam, ſed potius ſurgam & ſerviam tibi, in pl nitudine cordis.

2. *Deus viſitavit plebem ſuam.*

QUidni gaudeas anima mea, De viſitavit plebem ſuam. Plebs m vos dicit Dominus, Vocabo non pl bem meam, plebem, & non miſerico diam conſecutam, miſericordiā co ſecutam. Quid faciam Tibi, mi Jesu qui tam dulciter, tam frequente tam amanter, tam humiliter, tam d ligenter amas me, viſitas me? Ve eg

go plebs tua! Plebejum te mihi fe-isti; familiarem, domesticum, inti-um! non est aliud quam ut ossa mea ibi dicant Deus meus es tu, & exal-ibo te.

3. Ecce defunctus efferebatur.

MIserabilem hominum sortem per-pende. Morimur, & velut aquæ labimur. Hoc mori tam certum, uàm incertum. Me moriturum scio: uando? ubi? quomodo? nescio. oc mori, repeti non potest; Statu-m est hominibus semel mori. Ex c hominum sorte, disce; non sta-ere hîc manentem Civitatem pro , sed peregrinum te esse scito, nec nnino diu hîc mansurum. Ex mori o certo, incertoque, propone ita vere, ut mori paratus sis semper. hoc mori unico, non repetibili, nstitue talis esse in vita, qualis in orte velis reperiri. Nam in morte n est dicendum, Non putaram; in orte errare bis non datur, sed arbor quamcunque partem ceciderit ibi it æternum. Sic ergo semper vive,

quasi semper moriturus.

4. *Ecce defunctus efferebatur Unicus Matris.*

MUlier hæc, est anima mea; Filiu ejus unicus, est Voluntas: mori tur hic filius, quando malo consen tit. Unicus est, quia sola voluntat Deo anima placet, solusque & unicu Dei ab Anima fructus Bona Volur tas. Neq; potest anima cõplecti Cre: torem & Creaturam simul. Efferti hic filius ad sepulturam extra po tam, quando tepore, seu potius fr gore mortua induratur, venitque profundum & contemnit. Iterum hæc mulier, Voluntas est, ejus filii Bonum Propositum: moritur hic fil us, quando voluntas à bono prop sito ad malum inclinatur. Vis ut r vivificat tuus filius? efferat mater veniat in occursum Jesu; confiteat Domino miserias suas, cæcitates malitias, tunc enim Dominus qui c contritum non despicit, tanget loc lum cohibebit fletum, suscitabit fi um, matri reddet, dabit fervorem

An

anima verò ſtupore repleta, populos affectuum ſuorum, ad gratias agendas Deo concitet, & laudem Deo ſalutari ſuo dicere jubeat.

5. *Filius unicus efferebatur.*

QUid ſibi volunt iſtæ circumſtantiæ? Ecce filius, unicus matris ſuæ, viduæ efferebatur? an deſignant mundi vanitatẽ, bonorum ejus inutilitatem, amicitiam fallacem, brevitatem deliciarum? Non putas te moriturum quia juvenis es, quia delicatus matri? ecce filius, unicus, adoleſcens, non mortuus eſt ſolùm, ſed etiam effertur. Delicioſus erat Matri, Spes domûs erat, Unicus erat, toti Civitati Magnus erat. Sic enim, dum vivimus ferimur, dum morimur efferimur. O munde! ô homines! ô amici! ô Parentes! vobis fidem? an non domus hæc mea? an non hæ facultates meæ? ornatus mei, qui mihi toties promittebantur? cur nunc me effertis? mortuus es, quid vales? fætes, exi hinc! O vanitas, ô nugæ etiam magni, etiam unicus, etiam adoleſcens

 fœtet,

fœtet, & molestus est filius, mortuus effer tur. Quid te fundas in his Anime, è quibus efferendus es & pellendus? isthic te funda quò es efferendus, quò es inducendus. O bona æterna quantùm præstatis! vobis nemo moritur, à vobis nemo effertur; imò ad vos per mortem itur, propter vos mori volunt qui vos nôrunt, O! vos ego amem, vos appetam!

6. Misericordia motus super eum.

NOn tam facile cera ab igne mollescit, vel stupa à flamma accenditur, quàm citò misericordia Jesu super miseria Matris hujus & omnium miserorum, præsertim eorum qui filii unici, hoc est animæ suæ mortem acerbo dolore deflent, commovetur. Non est opus ut roges, ut procumbas ad genua, flentem te ostende; rogasse, postulasse, impetrasse erit. Anima mea, complectere hoc misericordissimum Christi cor, & pete ut te doceat cõmpati super miseria alienâ. Vide quod ille non rogatus miseretur promptior est ad miseris miserandum

quam

quam miseri ad misericordiam petendam. Et tu bene fac aliis etiam non petentibus, modò possis, modò eos indigere videas, talibus enim hostiis promeretur Deus, & verecundia proximi levatur.

7. Noli flere.

NOn potentis ferre affectum compassionis credo hæc verba sunt: An potiùs immodicum fletum cohibentis? an potiùs promptum auxilium offerentis? an potiùs causam flendi subesse negantis? an exauditum esse fletum indicantis? an vim sibi fieri lacrymis ostendentis? an non fletu sed fide & precibus opus esse demonstrantis? an seros esse hos fletus asserentis? Noli tu anima mea vana, otiosa, caducaque mundi flere, sed damna animæ, sed peccata tua & populorum, dedecora gloriæ Dei Sanguinisque Christi, hæc fleto.

8. Et dedit illum matri suæ.

CUr non accepit sibi? magis enim suus quàm Matris erat, sed quorsum suscitasset si Matri negasset? Ad

hæc, si eum sibi habere voluisset, resuscitare non debuisset. Ipse acceperat quando mori jusserat, restituebat igitur, quando vivere jubebat. Non es avarus Domine in donis & beneficiis tuis; non partiris ea nobiscum, sed omnia integraq; nobis das, mundi hoc est munus, divisiones amare, & meliora sibi, deteriora servis suis dare. O quid tu agis cor meum! cur dividis te Deo, cur non totum Deo das te & tradis? quod es, quod vivis, Dei es, magìs Dei quàm tuum meumque. I ad Deum, Deus te fecit, te finxit, Pater tuus est, ego tantùm custos; vult te Deus? abi, ejus esto, redde illi te, qui fecit te, qui finxit te. Deus meus! accipe illud & serva.

9. Adolescens tibi dico surge.

JAm adolevisti in malitia, consummatus es in morte, surge, hora est jam te de somno surgere. Tibi dico, te verba mea spectant, te ad vitam voco, te excito, tibi inspirationes motusque sanctos & gratiæ auxilia communico, surge quousque dormies?

ès ? O voces ! quoties ſonatis quamq; rarò audimini ? rarò audimini quia contemnimini. Væ vobis peccatores ; non auditis vocem Surge, audietis vocem Abi , Ite ; Heu quis tunc dolor ! dolere non placet, ſurgere placeat.

10. Accepit omnes timor.

IN donis Dei ſic te gere. 1. Accipiat te timor, hoc eſt, humilia te coram Deo indignumque bonis ejus judica. 2. Magnifica Deum, gratias agens illi, magnitudinemque donorum ejus extollens, facque illum magnum tum apud te in animo tuo, approbationis & appretiationis affectu ; tum apud alios, per doctrinam & bonum exemplum. 3. Ut exeat hic ſermo in univerſam Judæam. Quanquamhoc aliter poteſt accipi ; ſcilicet per invitationem Sanctorum, qui veri ſunt Judæi ſive Confitentes, ut pro te Domino gratias agant, hymnumque dicant, qui benefecit tibi, tu autem in omnem Regionem ſparge memoriam beneficiorum

ejus, hoc eſt, omnia opera tua in gloriam Dei facito, & totum te exhibe Ad majorem Dei gloriam.

DOMINICA XVI.
poſt Pentecoſten.

1. Intravit IESVS Sabbatho manducare panem. Luc: 14.

OLim ſic fuit, nunc autem non ſic, nunc enim intrat Jesus ad nos manducari Panis, non manducare panem. O mutatio dexteræ excelſi! ô mira opera tua Domine! virtutum. Anima mea in his cognoſcet nimis ô Nimis! Non cognoſcet nimis, quaſi non ſit futurum quod cognoſci poſſi ac debeat, ſed nimis, quia quicquic cognoſcit, minus eſt. An non nimis Deum hominem, Panem fieri, manducari, & manducari ab hominibus à vilibus, ac peccatoribus, quando & quoties volunt? O mira dignatio tua Domine Jesu, quia intraſti manducare panem! nos enim panis tuus nos cibus tuus, eſca tua electa & utinam digni ſimus quorum ad men

ſam

ſam rèſideas, panemque manduces! utinam non ſimus inſtar duri oſſis! utinam tibi panem poſcenti non porrigamus lapidem, & volenti piſcem, non demus ſcorpionem, & pro piſce ſerpentem. Tu Domine, averte ne fiat: ſi autem fiet, dic ut lapides iſti fiant panes: potens enim eſt dextera tua de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ.

2. Cum invitatus fueris ad nuptias non diſcumbas in primo loco.

PRo Hominibus hæc lex Domine Jesu, non pro te; nobis ſic eſt faciendum non tibi. In primo loco Domine diſcumbere debes, quia tu Principium es, & in capite libri Scriptum eſt de te, noſtrum autem noviſſima tenere; & ſive corpori tuo in Sanctiſſimo Sacramento communicamus, non præſumptuosè id agere, ſed humiliter & verecundè nos gerere, ſive etiam aliâ ratione tecum verſamur, nihil de meritis præſumere, ſed ſemper ſentire abjecte & humilia ſectari. Tu autem Domine primum

mum locum ubique tene in toto me, in amore, in timore, in desiderio, in æstimatione, in operibus, in cogitatione. Cedite alia omnia primum locum Iesu. Primus sit Jesus, solus Jesus: in solo enim Iesu est primatus & præeminentiæ omnis dignitas. Et nihilominus Domine Iesu, primum locum tu mihi concedis & me honoras in tuo Sacramento, tu mihi ministras te per te, tu cibus, tu potus, tu mensa, tu pocillator, tu incisor, tu omnia, tu præcinctus ministerium mihi exhibes; ego autem ad mensam tuam resideo, & fercula sumo & comedo omnia. O Anima! sedisti ad mensam divitis, recubuisti in primo loco, præcessisti etiam Angelos, vide ut statuas cultrum in gutture tuo cultrum reverentiæ.

3. *Et ipsi observabant eum.*

QUis cautus erit, si & Christus observatores habuit? Habuit, & habere voluit? tum ut tantò clarior esset innocentia, ubi nihil in eo reprehendere potuissent oculatissimâ invidiâ

diâ suâ; tum ut nobis exemplum esset, videndi, quomodo cautè ambulemus inter eos, qui ex adverso sunt; qui amorem quidem simulant ad tempus, sed æterno suo odio, pabulum ex incuria nostra captant. O cautè ambulate Filii lucis inter filios tenebrarum! vos, inquam, cauti estote qui de aliis soliciti estis, quos Deo lucramini, nam & vos observamini. Sed quid est quod super mensam legitur observari Christus à Pharisæis, in occupatione amicitiæ, benevolentiæ symbolo, sinceritatis dono, an mensa & cibus, optimus, invidis materiam obtrectationis quærendi locus? hoc, ni fallor, volunt sibi Pharisæi isti. Inter epulas facilè homo effunditur, hilarescit, solvitur, sumit namque vires corpus, & anima tunc, quasi habenas laxat corpori. Ergo tunc æmuli observant quid carpant, ergo tunc Viro Spirituali cautè agendum & circumspectè, ergo tunc servandum illud sapientis ne effundas te super omnem escam. Cum sederis ad men-

mensam divitis, considera diligenter, quæ & à quo apposita sunt tibi, qui tibi assideant, & quales, & statue cultrum in gutture tuo, certè non sine causa dixit Ambrosius : Vix unquam, imò nunquam convivia sine peccato adiri.

4. Et ipsi observabant eum.

MUlti sunt unicuique hominum observatores, multi observandi. Est enim homo spectaculum quoddam universitatis, in mundo, tanquam in theatro actionem suam peragens: Ergo omnium in eũ intenti oculi; theatrum mundus, spectator Deus. Et ipsi observabant eum. Observatores ergo nostri sunt alii qui nobis volunt bene, qui libenter Scenæ nostræ applaudunt, cũ possunt. Spectant, Deus, Angelus Custos, Patroni Sanctissimi, conscientia propria, ii qui nobis loco Dei præsunt, amici in spiritu & virtute. Spectant alii, qui nobis malè volunt, & vel optima in invidiam trahunt, tales sunt dæmon natura, concupiscentia, negligentia, conscientia

entia mala, inimicus homo. Quis Sapiens & intelligit hæc? Monet Apostolus: Nemini quidquam debeatis. Observat Deus ut adjuvet; Patronus & Custos ut protegat; Conscientia ut moneat; Superior ut dirigat. Amicus ut cõgaudeat; aut exemplum habeat; dæmon ut impediat in bono, pervertatque ad malum; natura, ut omnia ad se trahat, seque in omnibus quærat; Concupiscentia ut impleatur, Animam negligat, carnem curet; Negligentia ut debitum officii sui deserat, aut perfunctoriè absolvi faciat, Servitium Dei inutile & gravè reddat, meritum adimat; Mala conscientia ut torqueat; Inimicus homo, ut carpat, detrahat, objiciat. Vide igitur, ut nemini quidquam debeas, observanda tibi sunt non pauca: Deus ut æstimetur, Angelus ut audiatur, Patronus ut invocetur, Superior ut illi obediatur; Inferior ut regatur & instruatur; Conscientia ut mundetur; Institutum ut exactè servetur; Dæmon verò obfervan

servandus ut vincatur, & fraudes ejus evitentur; Natura ut exuatur; Gratia verò inveniatur; Concupiscentia ut mortificetur: Inimicus ut toleretur, & in bono malum vincatur.

5. Et ecce hydropicus.

HYdropisis tumidum facit hominem, & est symbolum superbiæ: facit hominem perpetuò sitire & est symbolum avaritiæ: facit fœtere & est symbolum gulæ ac luxuriæ: facit gravem & immobilem & est symbolum acediæ, facit intangibilem, estque symbolum iræ, facit mutari colorem, & est symbolum invidiæ: facit insensibilem, & talem, ut etsi moribundus sit, non tamen extremè se putet laborare sed vitam sibi longiorem sperare & est symbolum indurati cordis. Vides quam non sine causa Christus circa hydropicum observatur, & quàm non sine causa, contra invidiã Pharisæi, hydropicum sanat.

6. Si licet Sabbatho curare?

INter Judæos quæritur, si licet Sabbato

batho curare infirmos? inter Christianos quæritur, si licet die festo bonum agere? Adeò viderunt hostes nostri & deriserunt Sabbatha nostra. Quando enim tempus, Christiani, peccandi sibi concessum putant, nisi die festo? Et tamen Gregorius ait, Dominica die à labore terreno cessandum est, atq; omnimodè orationi insistendum, ut si quid negligentiùs per sex dies agitur, precibus expietur. In eius certè rei figuram Deus dixit; Die Sabbathi offeretis agnos anniculos, immaculatos, duplicanda scilicet est pietas & devotio, die festo.

7. Si licet Sabbahto curare.

NOn licet curare infirmos, at licet observare innocentes? proh scelus! proh pravitatem humani cordis! Væ hypocritis camelum glutientibus & excolantibus culicem! adeò improba est & cæca hæc nequitia, ut trabem non videat, vel festucam quærit. O! quàm sæpe aliena minuta, Catoniane judico, mea verò grandia palpo; ex externis, alienum damno, mea

mea interna diſſimulo, ignoro, foveo.

8. Sanavit eum & dimiſit.

RUmpatur invidus, crepet malignus fac bonum nec te lingua ejus à bono revocet. Si tamen potes, argue priùs improbitatem, & ſilentium impone modeſtum. Sic fecit Chriſtus, & comprehendit in aſtutia ſua Sapientes: animoſa eſt virtus Chriſtiana, aut vincit, aut contemnit obſtacula. Linguæ malorum, telæ illi ſunt aranearum; Non eſt vera virtús [illegible]ò non eſt virtus, quæ judiciis [illegible]nû flectitur.

9. Recumbe in noviſſimo loco.

VIa ad humilitatem ſui cognitio, ſui humiliatio: via ad exaltationem Humilitas. Vis promoveri? relinque ſpatium promovendi? Si primum locum tenes, quo promoveberis? quod ſi non promoveberis, non exaltaberis. Non igitur erit tibi gloria, ſi primum locum occupaſti, ſed ſi ab ultimo promotus es. Sed infeliciſſima eſt cæcitas mea, cum multis quidem

dem ſed mea tamen; quæ, etſi hoc videat intellectus, & cognoſcat luce clariùs veritatem ipſam, tamen affectus eam non amat, nec effectus conſuetudoque eam inſiſtit viam, licèt & ſecura ſit & facilis. Anima mea tandem diſce, tandem te aſſuefac ingredi hâc viâ, ſcilicet per humiliationem, vitæ hujus, ad gloriam, & exaltationem vitæ illius. Gloriam præcedit humilitas, & ante ruinam exaltatur cor. Habe prognoſticon, Si alta appetis; Si cor *Exaltatur*, corrues, *ſi Dejiciatur & humilietur*, aſcendes.

10. Da huic locum.

DA voci Divinæ locum; quoniam inſpirat bona; Da monitioni majorum, da infirmitati proximi, da irato, nec ſtulto ſecundum ſtultitiam ſemper reſponde, ne ignem gladio fodias, nec flammam flammæ addas. Honore præveni omnes, majores, meliores, doctiores te judica. Non ſic tamen impii, Ne da huic locum. Ne cede; Vinci te ſines? illud: irrideri? hoc ille poſſit? hoc ille aſſequatur?

tur? Sic mundus, ſic dæmon, ſed non ſic Chriſtus: Da huic locum ait, & rationem addit: Si non vis tenere locum noviſſimum cum rubore.

11. Et tunc incipies tenere noviſſimum locum cum rubore.

OLim ſic fuerat, ô impii! qui primas Cathedras primos accubitus qui præeminentias & reſpectus veſtros, privataq; ſpectatis & curatis, incipietis tenere noviſſimum locum; Quanquam erunt noviſſimi primi, & hoc cum rubore. O cum rubore! ruborem eum timete impii, rubor ille æternus eſt, flamma illum æterna iracundiæ Dei, & deſperationis & confuſionis inuret, & quis delebit? Quid times rubores ſæculi! Si hi magni, major ille: ſi hic timendus eſt nobis, potiùs ille, magìs ille; ex hoc diſcite quatenus & quàm timendus ille: hic oculi hominum & pravorũ quidem, at iſthîc oculi Dei & oculi Beatorum, & totius mundi ruborem incutient. Hunc tu ruborem, anima mea, recogita tibi, crebrò incute, & ruborem mun-

mundi nè time.

12 *Amice ascende superius.*

JAm tempus nimirum ascendendi; quousq; in isto gradu in istis principiis hærebis Anima? nō est hic perfectionis meta: S. Richardo dictum est olim: Ibunt de virtute in virtutem; & tibi dictum puta. Time, ne verum sit illud S. Bernardi, Sicut rara est Phœnix in terris, ita rarus Religiosus qui ab eo perfectionis gradu, quem initio primo fervore acquisivit, ulteriùs ascenderit. Deprecare Deum & tu Anima mea ne unquam in hac vita faciat te audie hanc vocem, Ascende superius, ascènde super candelabrum. Bonū est mihi sub modio mi Domine, bonum mihi in tenebris, bonum novissimum locum tenere, bonum est esse in infimo gradu in Ordine hoc usq; ad mortem; nec exponas ventis & turbinibus & procellis hoc vasculum fragile; quia, quæ utilitas in sanguine meo? locus meus humilitas est, locus meus contemptus est, locus meus abjectio est & igno-

ignoratio apud homines, hæc requi
es mea, hîc habitabo, quoniam eleg
eam. Adhuc autem, ô Domine, ec
ce incolatus meus prolongatus eſt i
terra hac infima & aliena morienti
um, quouſque differor & fluctuo? &
non recuſo quidem laborem, ſi adhu
populo tuo ſum neceſſarius, ſed ta
men terrent me miſeriæ meæ & ſaluti
incertitudo, periculorum numerus
judiciorum tuorum abyſſus & fragi
litas mea. Dic ergo Domine anima
meæ Amice aſcende ſuperius; Ven
amica mea, ſponſa mea, columba mea
veni! O! tunc ſatiabor pulchritudin
verbi hujus, & paſcar ſuavitate vul
tûs tui.

13. *Omnis qui ſe exaltat.*

AXioma hoc Chriſtianorum eſt, &
omnino dignum ſcitu, & cogni
tione pluſquam demonſtrativa. Na
tura humilitatis eſt, ut quis ſe humi
liet: non autem ſatis eſt, ut quis hu
milietur; multi enim humiliantur q
tamen humiles non ſunt, imò reca
citrant contra humiliationem, & in
dignan-

dignantur contra eos qui sic secum
igunt. Vis esse humilis, ama humi-
liari ab aliis, ama humiliantem te, &
ex justitia deberi tibi humiliationem
puta; ubi talis fueris, tunc exaltabe-
ris. Non capit umbram qui illam se-
quitur, sed qui procumbit hic capit,
sic gloria fugit sequentem, & tene-
tur, ab eo, qui se humiliat & abjicit.
Agnosce ergo ordinem & tene; hu-
miliare, tunc exaltare.

DOMINICA XVII.
post Pentecosten.

1. *Quid vobis videtur de Christo Mat. 22.*

TE interroga, anima mea, sensus tu-
os, ne tactum, ne gustum, ne vi-
sum, ne odoratum: Auditum, inter-
rogare potes: sed magis interroga fi-
dem tuam, interroga, Catholicam Ec-
clesiam, interroga IESV Christi verba,
quid vobis videtur de Christo? Pa-
nis quidem extra esse videtur, sed
non est: fallitur oculus, fides verax
est. O Anima! captiva intellectum,
captiva sensum, trahe vinctos ad pe-

des latentis in hostia Iesu & dic; A
doro te supplex latens Deitas, qu
sub his figuris verè latitas. Hæc dic
to, & gaude decipi te, falli te, nc
assequi te. Porrò interroga cor tu
um, voluntatem, mentem, affectu
desiderium, amorem, spem, fidem
Quid vobis videtur de Christo? A
mor dicit, Amo illum, Desideriu
dicit, Cupio illum, Fides dicit, Cr
do Deum & Hominem. Mens dic
Non capio illum, major me est. Sp
dicit Spero ab illo bona omnia; H
militasdicit, Vnde hoc mihi ut v
niat Dominus meus ad me? Gratit
do dicit, Gratias ago illi, Omnia o
dicunt; Benedictio illi, salus, & g
ria in æternum & ultra.

2. Quod est mandatum magnum?

OMnia magna sunt, quia magnus e
qui mandant illa, verus obedie
non quærit, quod magnum sit mand
tum, sed quomodo impleat hoc, qu
est mandatum. Verus Religiosus n
attendit sitne parva Regula an m
gna, sed esse Regulam, satis puta

dili

diligenterq; servat.

3. Quod est mandatum magnum.

MAgnum mandatum Charitas: non quia difficile sed quia facillimum, maximum præceptum, omnium mandatorum compendium, quo expleto; non potest non expleri omne; quo solo neglecto, nullum implevisse prodest. Magnum ergo, quia magni faciendum. Magnum objecto, magnum, latitudine, facilitate, fine, usu. Hoc conare anima, hoc magnum puta & vel singulis diebus hujus mandati actuale exercitium habe.

4. Diliges ex toto corde.

NOn facito prodigia, non filios immola, non novaculis teipsum lania, non vigila insomnis, non jejunis exhauri, unum fac Deum dilige ex toto corde. Quis diligit Deum ex toto corde? is qui nihil habet præter Deum in corde. Sed an odero Parentes, filios, possessiones, famam? ama ista, sed plus Deum, ex toto corde: præfer illum cunctis his. At nos quid? Cor totum demus nos, qui ne

unicam illius partem damus? demu
animam, qui illam in terrenis defixi
mus, & tam varie partiti sumus? de
mus illi totam mentem, qui tam ra
rò de Deo cogitamus? ô utinam poss
comprehendere & Deo præstare ho
præceptum!

5. Diliges Dominum Deum tuum.

MAgnum mandatum est Deum dili
gere, quia revera non opus era
mandato de diligendo. Quis enin
naturam spectans suam, sine præce
pto non cognoscit diligendum ess
Deum, à quo est, quidquid est. Ma
gnum mandatum, quia summum bo
num est homini, Deum diligere. Ma
gnum mandatum est quia cum omni
amor causam habeat propter quam a
mat, id quod amat, iste solus amo
causam non habet, nec habere debet
causa enim diligendi Deum Deus est
& modus sine modo diligere, ai
Bernardus. Non amas Deum, si ide
amas, quia benefacit tibi, fecit, faci
faciet, cælum dabit; Non amas De
um, si ideò amas quia jussit sese ama
ri.

i. quia punire poteſt non amantes ſe
i quis Deum propter hæc motiva a-
iat alioqui non amaturus, non amat
Deum; ſed ille verè amat Deum, qui
ideò amat, quia DEVS eſt, quia ſcili-
et bonus, dignus amore, & debetur
lli amor, circa quem ſolum amor ver-
itur digniſſimè. Non da mihi ullum
bonum Deus mi, nec promitte, nec
e terreto pœnis, nec mihi impera,
no te, & amabo ſine ulla lege, ſine
lo præmio, ſine ullo timore, dignus
im es ut ameris. O ſi te non amo,
od amem non habeo. Magnum
andatum eſt, quia modum & men-
ram ejus impletio non habet; quan-
m potes tantùm ama. Modus dili-
ndi Deum eſt, ſinè modo dilgere
rvus ſibi ſemper videtur amor ma-
r eſſe ſemper vult; pudet illum
od tam parvus ſit quantuſcunq; ſit,
i amori Divino quo ille amat ſe-
t ipſum, cedit, cæteris omnibus
perior eſſe contendit. Gratuitus
ſ, præmium non reſpicit, non reve-
tur, pœna illi inferno major non a-

mare, & una miseria non amare. Dignus est planè morte Domine IESV, qui te non diligit, & jam mortuus est. Sic ama Deum anima, sic conare.

6. Diliges proximum tuum sicut te ipsum.

NOn est amor Dei, sine amore proximi, nec præceptum hujus ab illo sejungitur. Amas Regem? amas & imaginem ejus, odisti imaginem? non credo amare te personam: Amare te debes propter Deum, proximum verò sicut te, igitur & proximum propter Deum. At quanti sunt qui plus amant hominem quàm Deum! Hinc verò etiam collige, cur præcepit Christus & inimicos amare? scilicet, quia proximi sunt, quia in ijs imago Dei est, quia non propter se sed propter Deum amandi sunt. Nam revera ubicunq; motivum amoris est, ibi necesse est amorem ferri & esse. Si ergo etiam in tuo inimico motivum amoris est, & ratio formalis scilicet Deus, etiam ad inimicum tuum tendet amor tuus, & amabit illum. Vbi ergo sunt excusationes, tuæ quæ

præ-

ꝑtendis in aversionibus tuis à pro-
mis tuis? Si propter Deum diligen-
sunt, en etiam in hoste elucet De-
, ama hostem propter Deum.

7. *Quid vobis videtur de Christo?*

QVi alterum examinare vult opor-
tet ut paratus sit & ipse respon-
re. Pharisæus hic habebat unum,
n habeat alterum? ad unum respó-
n obmutuit. Sic nempe evenit scio-
& superbis, qui, dum alios con-
ncere volunt, ipsi suam ignoranti-
coguntur agnoscere: cave ergo
os judicare, & tibi ipsi attendere
sce.

8. *Quid vobis videtur de Christo?*

[Vltiplex est hominum sensus de
Christo. Legitur apud Joannem:
cebant alii de eo quia bonus est,
autem non, sed seducit turbas.
ii eum Joannem Baptistam putant,
i rigorem tantum in Christiana vi-
requirit, & eos qui illum minus se-
ri videntur, à perfectione abesse
tat. Ieremiam putat, qui Spiritum
risti putat Spiritum servitutis, &

non potiùs talem qui dicit, servitè Domino in lætitia. Prophetam putant, qui prompti sunt judicare alios, & desperare de eorum emendationibus, quasi non verax ille qui dixit, Tu quis es? qui judicas servũ alienũ? Domino suo stat aut cadit. Anima mea, quem dicis esse filium hominis? O Domine Jesu, tu es Christus Filius Dei vivi, mitis & mansuetus, & humilis corde.

9. Cujus filius est?

MUndanorum quæstio est, utinam non Religiosis etiam usitata. Cujus Filius est? ô homines! o nobiles quid Religioni & huic Quæstioni an confunditis eos qui non habent Audite Paulum Non multi potentes non multi Nobiles, non multi Sapientes, sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes.

10. Cujus filius est?

COntèntionem puta Dei & Diaboli de homine, Cujus filius est? Cujus Patris mores tenet? Hoc certamen, in morte dirimitur, hîc in vi

agi-

agitur. Hem! miserum me, cujus filius sum! cujus filius in illa hora inveniar ô Jesu? tuus. tuus ô Jesu!

II. Donec ponam inimicos.

MOdò stant inimici tui Deus & inflati ambulant tumentes adversarii tui Christi, superbiâ. Cæterum, vox Domini confringentis cedros, super omnem impium. Corruent non stabunt inimici tui Jesu, ponentur, jacebunt, & non consurgent, erunt scabellum pedum tuorum, cadent subtus pedes tuos. Sed quid? si ego unus eorum sum futurus, quid si & ego scabellum pedum tuorum ero! quid si calcabis & me in furore tuo! planè sic accidet mihi si inimicus tuus ero, si ero hostis crucis tuæ: sin autem diligam te, si non erubescam te, si sequar & tollam crucem meam post te, non fiet mihi istud. Hoc faciam, & Tu Domine da ut faciam.

DOMINICA XVIII. post Pentecosten.

1. Ascendens in naviculam transfretavit.

IN naviculam Jesus ascendit, & transfretat, & venit in Civitatem suam, quando de cælo descendens, ingreditur panis viniq; naviculam, verborum Sacerdotalium, tanquam velis quibusdam remisque impulsu; & venit in Civitatem suam, scilicet Animam suam, sibi conjungi appetentem. Quæ quidem Civitas est Capharnaũ, caput Galileæ, Christi Patriæ, significatq; suo nomine Agrum pœnitentiæ, in quo Christus libenter moratur, Civitatemque suam vocat, quia ille nulli cordi libentiùs adhæret, nec agrum ullum libentiùs colit, quàm cor pænitentis. Iste quippe est campus misericordiæ ejus, in quo erit Christus extra se, & se integrè communicat, quemcunq; talem deprehendit. O Anima mea! ecce jam est Iesus in navicula panis, jam de cœlo in terram transfretavit, vult jam ingredi civitatem suam, nempe te, quæ ipsius est Creatione, Redemptione, Voto. Si non potes esse ager deliciarum, sis sal-

ſaltem ágèr pœnitentiæ; verecundè, dolenter, humiliter, amãter ad Chriſtum ſuſcipiendum accede.

2. *Ecce offerebant ei paralyticum.*

HIc noſter eſt, Chriſtum tractandi modus. Intrat in Civitatem ſuam, ecce paraliticus in lecto. Intrat Civitatem Naim, Ecce efferebatur unicus. Quid hoc? noſtra eſt inurbanitas, ad nos ille cum Gratiis, nos illi obviamus cum peccatis. Proh pudor! Siccine Rex excipiendus? hæccine reddis Domino tuo popule ſtulte & infidelis? ô quoties Chriſto venienti paralyticum offero! intrat ille, dicit, hic te vince, fac hoc in mei gratiam, at ego offero paraliticum in lecto, Spiritum tepidum, frigidum, ô quouſque hoc! quouſque?

3. *Videns IESVS fidem illorum.*

LIbenter Jesus fidem videt, illamq; requirit ſemper; Si potes, (ait Marci 9. v. 23.) credere, omnia poſſibilia ſunt credenti. Niſi ſigna & prodigia videritis non credetis; Non inveni tantam fidem in Iſrael. O mulier,

er, magna est fides tua! Fides tua te salvam fecit. Tantummodo crede & salva eris; Non dixi tibi, si credideris videbis gloriam Dei? O generatio incredula & perversa quamdiu vobiscum ero? quamdiu te patiar? Non semper tamen Christus fidem videt, vel quia non est, vel quia est quidem, fœda tamen aspectu, sine operibus, mortua est, cadaver est: vel quia exigua, effugit aciem oculorum. Prima fides est illa, ubi est fides vestra? talem Calvinistæ jactant, eamq; sibi inesse à spiritu privato dicunt. Secunda est fœtida, in peccatis mortalibus. Tertia quæ nec granum sinapis vincit; quam Petro Christus objicit; Modicæ fidei, quare dubitasti? O stulti! & tardi corde ad credendum. Hinc collige, quod IESUS quandam fidem videt, ut in hoc Evangelio; quandam miratur, ut in Centurione; quandam laudat, ut in Chananæa; quandam requirit, Vbi est fides vestra? quandam deprehendit, Modicæ fidei quare dubitasti? o stulti & tar-

tardi corde ad credendum? hoc dici Calvinistis potest, & malis Catholicis, in quibus est fides sed ficta. Pete gratiam tu à Patre illo, cui dictum, Credo Domine, adjuva incredulitatem meam. Et, Domine, adauge nobis fidem ex dilectione operantem, quam Christus libens videt: nempe quia ipse fidelis est (inde dictum Fidelis Deus) Et quia accedentem ad Deum oportet credere.

4. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.*

HIc, enimverò, vera fiducia & causa vera, cur fidam remissionem peccatorum cur enim timeo? quia tibi soli peccavi. Dic Domine animæ meæ, Remittuntur tibi peccata tua; Confidam. Sed enim scio quid respondes mihi: Facito fructus dignos pœnitentiæ; intelligo; sed da quod jubes, & jube quod vis.

5. *Confide fili, remittuntur tibi.*

TRia hic videre potes. Meritum fidei, magnitudinem liberalitatis Christi (quod in fide aliena peccata

dimit-

dimittit) & suavitatem dulcedinemque ejusdem. Vere mel & lac sub lingua ejus: verè meritò mirantur turbæ in verbis gratiæ, quæ procedunt de ore ejus. Quid tam mellitum quàm compellatio Filii? quid tam lacteum, quàm remittuntur tibi peccata tua? Ergonè Paraliticus filius? ergonè pro aliena fide remittuntur illi pœnæ? remittunrur; quia tecum res agitur Bone Iesu. Dicant prout volunt quidam de Scribis: Hic blasphemat; crepet livor, rumpatur invidia, ignea tela diaboli, ferventiùs etiam, quam solent, excandescant; in verbo Tuo ô Iesu, confido ego, prodigus licet sed tamen filius. Dic Animæ meæ. Remittuntur tibi peccata tua, si non propter fidem meam, at propter gratiam & suavitatem tuam.

6. Cum vid.ret IESVS cogitationes eorum.

QUam magna nobis necessitas incumbit Sanctè vivendi, vel una illa ratio probat. quia cuncta agimus in oculis Judicis cuncta cernentis. Au-

Audi Evangelium. tacebant omnes Scribæ, in Iesum intenti erant, ecce tamen oculus Domini vidit quid culparet, audivit clamorem tacentium, ſenſit blaſphemiam, blaſphemiæ condemnantium; uno verbo, Vidit cogitationes eorum. Creditiſné Chriſtiani? Si Scribæ cogitationes ſuas à Criſto viſum iri ſperaſſent, hoc de illo cogitaſſent? non, dico vobis. Quid igitur eſt, quod nos fideles, credenteſq; Deum nobis intimè adeſſe, noſtra cuncta introſpicere Chriſtum, tamen ita agimus, atq; ſi Deum non timeremus, non crederemus, cæcum eſſe arbitraremur. Duas hujus rei cauſas eſſe video. Vel enim quod ſit Deus, quidque, non ſcimus, vel quia illum nobis præſentem non meminimus. O ſi ſciremus quid ſit Deus? quo dignus? qui nos? quid debemus illi ſuper omnia? O ſi illum nobis præſentem cogitaremus! quàm facilè foret vitare imperfectiones noſtras, in quibus nobis blãdimur tanquam de fragilitate humana, cum potiûs

tiùs de negligentia, tepore, inconsiderationeque ac Dei timoris defectu procedant. Cogita Dorothei & Basilii verba. Cogita Deum (ait ille) tibi præsentem, & te coram illo stare, cogita quod Iesus videat cogitationes tuas: sic districto (hic ait) nunquam lascivire licebit, libebit, vacabit. Vide Dom. Quadragesimæ primam Num. 9.

7. *Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?*

LOcus in eos, qui si clam sint, peccare audent, publicæ honestatem profitentur, quales sunt Politici moderni, similes sepulchris dealbatis, foris enim mundi, intus pleni ossibus mortuorum; quales sunt & Religiosi non pauci, qui privatim multa negligenter agunt, dissolutè se gerunt, publicè & sub censura, fervorem & modestiam prætendunt; ajunt enim, hæc oculus hominis non attingit; quid ais ô homo? non attingit visus hominis? esto; attingit visus Dei: oculos illos non reverebere? an pluris tu

inter-

intereſt bene audire ab hominibus quàm à Deo? ut quid cogitatis mala, ait Chriſtus; non dicit, ut quid agitis; & ne dicas proditas cogitationes, addit; In cordibus veſtris. Cor videbat Iesus, & in corde cogitationes latentes penetrabat, arguebat: corde & de corde loquebatur. Et nihilominus tu hunc tam acrem oculum, tam lynceum, non metues? de corde exeunt cogitationes malæ, adulteria homicidia, odia. Cordi ergo attende ô homo: omni cuſtodiâ, cor ſerva, non ſolum quia ex ipſo vita procedit, ſed multò magis, quia Deus ſedem ſuam in corde tuo fixit, ut inde totum te, & omnes angulos animæ tuæ contempletur; magis, inquam, quia Deus cor tuum ſibi propoſuit quod ſolum unumque intueatur, & oculum ſuum ad illud ſolum direxit. Vide ergo ut cordi tuo attendas, ne quando audias hoc verbum aſperum, Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris? In corde cogitat malum, qui voluntariè & advertenter cogitat,

ſemper ergo ad conſcientiæ tuæ di-
ctamen attende, examina conſcien-
tiam accuratè, noli contentus eſſe o-
pera aut verba vidiſſe, ſed cogitati-
ones quoque cordis diſcute.

8. Surge & ambula.

SUrge, tolle lectum tuum, & vade in domum. Sicut morbi corporum, ſunt ſigna & ſimilitudo morborum in Anima, ita medicina illorum, eſt ſignum & ſymbolũ medicinæ iſtorum. Quare quod Chriſtus in illis corporaliter juſſit fieri, hoc à nobis ſpiritualiter in iſtis eſt faciendum. Quis noſtrum eſt, quem peſtilens non afflavit aura? Cujus non ſunt paralyſi reſoluta mẽbra? quem non lectulo affixit deſidia, tepor ſpiritûs? Paralytici ſumus, & fortè ſanari volumus: quid faciemus. Domine Iesu? ecce cor noſtrum ante te, vide fidèm noſtram: quid eſt facilius tibi quam dicere; ſurge & ambula. Audite Paralytici verba Domini; Vocem medici, audiant infirmi; Surge, tolle lectum, ambula, vade in domum tuam, morbi veſtri cau-

ſa eſt

ſa eſt ignavia, deſidia, tepor, mollities. Surge; Vſquequo piger dormies? jam clarũ mane feneſtras intrat, Nec ſurgere ſatis eſt! Tolle lectum tuum: Lectus tuus, conſuetudo tua eſt, & habitus vitiorum, tolle iſtum, & cõtrariis inſueſce virtutum habitibus. Lectus tuus patientia eſt, Chriſti crux eſt, tolle lectum tuum, tolle crucem tuam, quotidie, abnega teipſum, cõmove teipſum; motum tollit paralyſis, motu tollitur, ſed nunquid hoc ſatis? nondum per omnem modum. quid adhuc mihi deeſt? vade in domum tuam, ait Chriſtus; Sequere me, Domus mea cœlum eſt, vita æterna eſt, illuc vade. o quàm pulchri gradus, Surge, Tolle, Ambula, Vade. O Surge ô Tolle. hæc eſt Sanctorum via, hæc vita, Surgere quotidie, incipere quotidie, tollere & tolerare quotidie, ambulare, proficere quotidie. Semita enim juſtorum quaſi lux ſplendens ſurgit aſcendit, procedit uſq; ad perfectum idem. Delectat jacere, ſed non delectat paralyticum eſſe.

esse. Surge, hoc enim vis esse quod esse non potes; delectat ire sine onere, sed volens nolens portare crucem tuam debes. Quotidie tolle, tantùm enim proficies, quantùm tibi vim intuleris. Placet & subsistere & morari, sed qui attentat stare, ruat necesse est, & quid prodest Christum sequi, nec tamen consequi. Vade; perfectio tua est, profectio tua: semper adde; semper profice, semper ambula; semper tibi displiceat quod es, si vis pervenire ad id quod non es.

9. *Videntes autem turbæ timuerunt.*

Nihil Deus facit frustra, etsi omnia facit gratis: nam quis prior dedit illi, & retribuetur ei, sed facit omnia propter certum definitumq; modum. Iste operum divinorum finis, in his verbis Evangelii ostenditur, cum dicitur, quod ad illustrem consanationèm paralytici à Christo, timuerunt turbæ, & glorificaverunt Deum. Est enim duplex Dei operum finis. 1. Ut sit Dei timor in hominibus. 2. Ut glorificetur Deus ab eisdem. Sed quæritur,

tur, quid eſt quod in tantis Dei circa nos & ante noſtros oculos operibus miraculoſis, beneficiis, pauci tamen Deum timent & glorificant? Mirum id ſanè & minimè tolerandum; cauſa tamen illa videtur quod non ſint turbæ videntes. An illi vident bona ſibi a Deo facta qui ſuis bonis in offenſionem Auctoris abutuntur, quique illa, ipſi præferunt? An viderunt Ethnici, qui cum ex his viſibilibus, teſte Paulo, Deũ cognoviſſent, non tamen ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt? An viderunt iſti Phariſæi, qui etſi ad eos, & in omnes perveniſſet regnum Dei, licèt aliis de ejus adventu narrarent, licèt opera Chriſti viderent talia quæ nemo alius fecit, tamen non videbant Chriſtum, tamen ſignum volebant videre, adeo ut Chriſtus dixerit de illis, quod videntes nihil viderent An vident hodie Hæretici dona fidei? videntne Eccleſiam? videntne Caput Eccleſiæ? videntne Chriſtum in Euchariſtia, videntne Trinitatem & Vnita-

nitatem in Deo, Sanctos in cælo? justitiam inhærentem in justis? nihil vident, ac ideo non timent, nec glorificant Deum. An vident novi Politici, qui Sapientiam & Potentiam & Providentiam Dei ipsius, imò Dei existentiam volunt evertere, ut suæ Carnis Sapiētiam, astutiam, fraudem, dolum, rem politicam constituant? An videt ille qui dixit animæ suæ; Anima mea, habes multa reposita bona in annos plurimos, epulare, jucundare. O cæci filii hominum! ô stulti in cogitationibus! ô ingrati! bruta & bestiæ benefactores suos cognoscunt, homo rationalis Deum non cognoscit in donis! O improbitas humana! si requireret Deus tributa à nobis pro donis suis, dare teneremur, nunc autem quid vult? Cognosce dona mea quæ mea sunt. Timor mei sit in te, Lauda me, ampliùs nihil volo. Nos sic stulti & impii sumus qui etiam hæc præstare nolumus. Sed olim veniet dies cum dicent impii Montes, cadite super nos; cum are-

scent

ſcent præ timore & exſpectatione, cum inimici tui Deus terram lingent, & fient ſcabellum pedum tuorum, videbuntq; te, & adorabunt, venientem in nubibus cæli, inviti & malo ſuo, qui te ad Salutem ſuam noſſe nolebant. Non ſic David fecit, qui ait; Conſideravi opera tua Domine & expavi. Conſidera & tu ô homo quid ſit Deus in Angelis? quid in hominibus? quid in reprobis? In Angelis admirabilis, in hominibus amabilis, in reprobis terribilis. O quis iſta videns non timeat? non det laudem Deo? verè quiſquis eſt, oculos habet & non videt, imò vivens non vivit; quia non vivit propter quod, ut viveret, conditus eſt à Deo.

19. Surge & tolle lectum.

DImiſſa ſunt tibi peccata per pœnitentiam, inſere virtutes per fervorem; abi autem in Domum tuam, omnia ad æternitatem dirigẽdo quæcunque facis & cogitas.

DOMINICA XIX.
post Pentecosten.

1. *Fecit nuptias Filio suo.*

CHristum in Eucharistia sumere, est nuptias celebrare, dat enim Christus animæ, sui non solum Corporis, sed totius usum, hoc ipsum etiam ab homine sibi fieri cupiens. Sic ergo imaginare: Pater æternus Sponsor, nuptiale convivium Sanctissimum Sacramentum est. Age, quam splendidus venit Sponsus ad nuptiales epulas, qualis Sponsa ad easdem accedit, talis tu accede ad hanc Communionem, affer ad hanc mensam verecundiam, affer humilitatem, affer amorem, desiderium, affer indignitatis propriæ cognitionem, affer firma proposita Sponso in omnibus semper placendi, solus tibi, Sponsus placeat, solus ditissimus, nobilissimus, pulcherrimus, pretiosissimus Sanctissimus, dignissimus, solus tibi sit. Nihil omnia, pende ab aspectu Sponsi, decorem ejus, majestatem, dignitatem, suavi-

ſuavitatem mirare, ama, concupiſce. Gratulare illi hæc omnia, ama in illo hæc omnia, illi gratias age pro omnibus. Puta tua eſſe omnia; ſiquidem ille tuus eſt, qui habet hæc omnia. Conſtitue ita vivere purè & ſanctè, prout exigunt iſta omnia. Accide æterno Patri ſupplex, gratias illi agens, qui dat tibi Vnigenitum Filium ſuum in Sponſum, & promitte illi, quod dignè te tali Sponſo gerere velis. Accede & ſupplex Sponſo, ſubmittens & ſubdens te illi ex toto, gratias illi age, quod non dedignetur, nec aſpernetur te, ſed delicias ſuas tecum vult habere. Accide & Spiritui Sancto ſupplex, ut eſſe velit, inter te & Sponſum tuum vinculum æternum, ſicuti eſt in Divinitate amor Patris & Filii; aut ſicut eſt amor Christi & Eccleſiæ. Pete ab illo, ſupplica illi, ut te ſanctificare ut mundare, donis ſuis deliciiſq; exornare velit, non propter te, ſed propter Sponſum tuum, qui habere talem vult te, qui dignus eſt, ut te talem habeat

propter se: in auxilium Christum in voca, Beatissimam Virginem, Ange lum Custodem, Sanctos omnes, cœ lum totum.

2. Ecce prandium meum paravi.

PRandium ipse est Christus. ô qua le prandium Deus & homo, Corpu & Anima Iesu Christi! Prandium quia est hujus mundi vita, Arrha au tem & pignus futuræ illius magn Cœnæ. Suum vocat prandium, qui ab illo solo paratũ excogitatumqu Suum vocat, quia se solo dignum, nu lus Rex tale potest parare. Suum vo cat, quia propter se paravit, ut su scilicet affectui & mori in nos facere satis. Suum vocat, quia propter sua delicias, quas nobiscum ad han mensam habere desiderio desidera vit, illud paravit; paravi, inquit magno sumptu, magno labore, ma gnâ industriâ, Sapientiâ, mirâ arte magnâ suavitate, in magnos usus, pa ravi ego, & ego solus. Quid diciti homines famem esse in terra? Ecc prandium meum, paravi, ne mole

stum

ſtum eſſet exſpectare cœnam. Ecce prandiũ meum paravi, levate famem, prægustate in hoc prandio cœnæ futuræ delicias: non fallo, ecce non lacto promiſſis, ecce aſpicite, venite, accumbite. Venenum ne horrete, ne ſuſpicamini; meum eſt, fallere neſcio, procul à me venenum, totus Sanitas ſum, medicina ſum, antidotum. Ecce prandium meum paravi; cui? hominibus utique mortalibus, miſeræ & fragili Creaturæ; hunc laborem propter tales dignatus ſum ſubire, tantum bonum hominibus præparavi, eorum omnibus ſubvenire cupiens neceſſitatibus. Ecce prandium meum paravi, nunquid gratis? nunquid otiosè? cur timetis venire, vobis paravi, cur tardatis venire? jam paravi. O penetra hoc bene cor meum & voces iſtas cognoſce, teque ad hoc prandium digne illo præpara.

3. Miſit ſervos ſuos vocare invitatos, & nolebant.

SI eſſet Divinæ Bonitatis modus, haberetque menſuram Deus, in noſtra

ſalute curanda, eſſet quod fortè pr
tenderet malitia humana, ſe quoq
menſuram ſervare in Déi amore
Servitio, eſſet fortè quod cauſaretu
nihil ſe ſine Deo poſſe. Sed nun
cum bonitatis illius infinitus ſit th
ſaurus, cumque nihil non agat De
eorum quæ nobis intelligit opport
na, quem tandem ruinæ noſtræ auct
rem afferre poſſumus præter no
Creaverat nos Deus & quidem r
ctos & perfectos, nihil nobis deb
bat ampliùs; addit tamen; Fecit n
ptias filio ſuo; nec nos ab iis nupt
excluſit. Iam nobis omnia ſubjecer
ſub pedibus, oves, boves &c. co
tenti eſſe poteramus & debebamu
at ille contentus non fuit, invitav
nos ad nuptias Filii ſui, ad finem ſ
pernaturalem nos condidit: Medi
torem nobis Filium dedit, qui n
deduceret in via, Magiſter eſſet. N
ſatis habuit invitaſſe, ſervos etia
miſit, qui nos ad parata omnia voc
rent. O quid agis Divina Bonita
an Filius tuus nuptias celebrare ſ

nobis non poteſt? An non ſatis ſplendidus eſt apparatus tuus, niſi in ignominia noſtra tenebras fecerit? An nulli tibi hoſpites te digni futuri, niſi nos Animæ viles accubuerimus? Ita eſt, Omnipotens Deus, cujus natura Bonitas, cujus miſericordiæ non eſt numerus; ita inquam, Deliciæ tuæ eſſe cum filiis hominum, & deliciæ, tuæ ſi tecum ſint filii hominum. Et quid proſint nuptiæ, ubi abſint deliciæ? Mitte ergo Servos tuos Deus, voca invitatos, neque enim filio tuo bene erit ſine homine. O homines quid agitis? quid nugamini? quid non paratis vos nuptiis? cur tempus illud quod habetis, aliis omnibus impenditis? nec de ornatu nuptiali cogitatis? Ecce nunciant Servi; jam vocant, venite ad nuptias. O ſtulti! voces, veſtes, parate, ſumite, ite. Etiam moramini? Væ vobis! Ecce claudetur janua, ecce vos pulſabitis, ſed ſerò! Interim tibi gratiæ, ô Deus! qui nuptias quidem facis, ſed propter nos, & magis no-

bis, quam Filio, non tamen sine no-
bis. Invitans nos, vocas, Servos mi-
tis, da quoq; ut audiamus & proper-
mus, ut non contemnamus, non ex-
cusemus, non sine veste nuptiali ve-
niamus; illa enim priora omnia in-
gratorum sunt, hoc ultimum præsu-
mentis etiam est.

4. *Et nolebant venire.*

HÆc est nequitiæ nostræ summa, hæ
injuria quam homines Deo faciũt
maxima: parat nuptias, mittit ser-
vos suos, invitat, vocat, homines au-
tem quid! illi inquam invitati, vo-
cati, quid? Ecce nolebant venire.
Quid (Deum immortatalem) qui ta-
dem isti sunt? qui nolebant venire.
Cur nolebant? Ratio facti, quia No-
lebant. Audite cœli, & auribus per-
cipe terra, homines, vilissima terræ
portio, à Deo benignissimè ad salu-
tem, ad vitam, ad voluptates, ad bo-
nitatem, ad consensum, ad familiari-
tatem, ad nuptias invitati sunt à De-
o, Rege Regum; nolebant venire.
Quid potuisti ultra Deus facere v
nea

neæ tuæ, & non fecisti? Fatemur ô bonitas, ô omnipotens, abunde te functam Tuo officio. Sed tu Capharnaum, tu humana malitia, ingratitudo, negligentia, nunquid usque in cœlum, usque ad nuptias Dei exaltaberis, & invitaberis? usque in infernum descendes. Supergressa es ô humana malitia modum, Superas non solum tuas vires, sed etiam teipsam, plus penè mala es quàm esse potes? Audi ergo verbum Dei, pro eo quod invitati homines ad nuptias, venire noluerunt; veniet dies, dicit Dominus, quando & claudentur januæ Regis, & inchoabuntur nuptiæ: quando dicetis, Domine Domine aperi nobis, tunc respondebit vobis in furore suo justitia ejus, Nescio vos; tunc respondebit vobis malitia vestra de intus, Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear. Tunc præ angústia Spiritûs gemetis, & dicetis, Nos insensati, Scientiam viarum Dei noluimus. Sed enim tunc Dominus subsannabit vos, & irridebit vos, &

nesciet vos, quia cum vult non potest, qui quando potuit, noluit: per malum enim nolle, perdidit bonum posse.

5. Omnia parata sunt.

QUæ maxima sunt in mysterio, ea solet Sacra Scriptura brevissima facere in sermone. Notiùs est, quàm ut opus sit afferre exempla. Hoc præsens exemplum esto. Volebat Paterfamilias cælestis explicare quàm, lautum, quàm splendidum apparasset Filio suo nuptiale convivium: cœperat enumerare singula, finem cum videret non futurũ enumerationum, verbo expressit; Et omnia parata sunt Quæris quid valeat, quidvè sonet hoc Omnia? cœlum totum est, gaudium totum ac bonum est. Quod bonum? quod nec oculus vidit; quod bonum? quod solum, quod omne quod semper, quod unum est bonum Quid hic quæris ô homo in mundo quid caducis inhæres? Bonum quæro, ais. Tale ergo bonum quære quod bonum sit, non quod sit malum

bo-

bonum, non quod ſit apparens tantùm bonum, non quod ſit unum tantùm bonũ; illud quære bonum, quod omnia, quod ſolum, quod ſemper, & verè bonum eſt. Quantumcunq; hîc acquiſiverimus, omnia non erunt, pauca erunt, plura deerunt, bona non erunt. Omnia vis? ad cœlum tende; ibi enim parata ſunt omnia, & qui dicit, non mentitur Deus, quia ibi ille eſt, qui omnia eſt, & ſuper omnia. Proinde, neglige iſta ô homo, ô Anima mèa, hæc in quam, pereuntia, hæc, non Omnia, nihil hìc paratum eſt, omnia de novo paranda, nec tamen ut pares omnia, eſt poſſibile; vis parata omnia vis nullo labore omnia, omnia ſimul poſſidenda, vis ſemper habenda, nunquam perdenda? cælum pete, ad cælum i, omnia iſtic parata, adeo ut hoc quoq; paratum ſit, quod parare non ſit neceſſe; nam ſi hoc non eſſet, omnia non eſſent; omnia autem ibi parata ſunt, prompta omnia, & hoc ſolum deſiderantia ut accipiantur. Quod caput

eſt, ita parata ſunt omnia, ut ſimul accipi debeant omnia, & non pèr partes ſingula. O quæ omnia! ô quæ! ô quomodo! ô paratâ! ô quando parata! à conſtitutione mundi, dicit alibi; quæ oculus deſiderat, quæ cupit mens, quin plura, quin majora, capere cor poſſunt, corde capi non poſſunt: Illùc ergo convertere ô cor meum, illuc ite cogitationes meæ, ubi omnia parata ſunt. Sed illud ſolum unumque adferamus ad illa omnia, ut parati accedamus ac veniamus, uſq; ad illa omnia: Scriptum eſt enim: Et vos eſtote parati: quomodo? mundum deſerere, mori, rationem reddere, cælum ingredi, ad hæc eſtote parati.

6. Venite ad nuptias.

FOris canes & foras: Foris proci & porci; non veſtra hic limina agnoſcunt nuptiæ, hædi faceſſite; Pudor nubit & Caſtitas. Quid hic canina lingat impudentia? non vos vocamini ad nuptias ô impii, qui & nubitis, & nuptui datis, & putreſcitis in ſter-

ſtercore: facti ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus, quibuſq; ſolum illud in ore ſtrepit, Creſcite & multiplicamini, quibus denique pane faciliùs quam carne interdicitur. Nihil dictu fœdum viſuq; hæc limina tanget. Agni fiunt nuptiæ. Deliciæ hic ſunt ſed caſtæ nuptiæ; ſed puræ, thalami ſed intacti. Venite ad nuptias, ait Rex Paterque Vnici Filii. Credis mortalitas, te à Deo tanti æſtimari? vocem ejus audis quidem, Credas; Vſque ad delicias amamur: quid? imò ad nuptias. An non amamur, qui etiam invitamur? Agnoſcè ô homo Conſilium Sapientiæ, dignationem majeſtatis, Charitatem Numinis: Agnoſce inquam, & excipe, I, ad nuptias vocaris. I, Pater vocat, Abi, vocat ad nuptias Filii: abi, non eſt præſumptio, ubi eſt invitatio, ſed tamen debet eſſe præparatio, ètenim neceſſe eſt ut impleatur illud, venerunt nuptiæ Agni & uxor ejus præparavit ſe.

8. *Venite ad nuptias.*

NE te puta ad parvam vocatum perfectionem. Non ad simplex servitium, sed ad nuptiale consortium usq; vocaris. Ecce omnia parata sunt ex parte Sponsi, & ipse Sponsus Serviq; Patris vocant, Venite ad nuptias. Tu quid moraris? quin te præparas ô Sponsa? Sequere vocantem Deum, obedi inspirationibus, præpara te Conjugi Sponso, Enitere ad fervorem, ad perfectionem, ad munditiem & ornamentum, ad amorem, ad Conjunctionem, ad complexum, ad oscula, ad cohabitationem. Usque huc ascendere debes, & tu etiamnum in limine primo insistis? ô quando venies? ô quãtus pudor incomptam ad Sponsum venire! Ad Assuerum venturæ Sponsæ, septem mensibus præparabãtur, omni ornatu, omni cultu Rege digno. Tu quid? tu dignum nihil ages cælesti illo Sponso, illo thalamo? tu audebis aliquid committere, quod illi displiceat? quod ejus abs te oculos

los avertat? Ne excuſationes prætende, ne negligentiam palpa; has excuſationes Sponſus tuus non capit, te culpabit, ſi quid culpabile invenerit; & quæ tibi contuſio, in primo congreſſu confundi.

8. Reliqui verò tenuerunt ſervos ejus.

ETiam uſque ad Sanguinem, uſq; ad necem, uſque ad contumelias ventum eſt; non ſtat in uno gradu malitia, creſcit. Antea miſerat Rex Servos vocare invitatos ad nuptias, & nolebant venire; iterum miſit alios ſervos dicens, dicite invitatis, Ecce prandium meum paravi; Illi autem neglexerunt, quin imo abierunt, alius ad villam, alius aliò. Sed hæc leviora. Pergite invitati. Reliqui verò tenuerunt ſervos ipſius. Quid ultra? contumeliis affecerunt. tantumné? occiderunt. Itané verò ô Deus? haccine ſorte mittis tu Servos tuos ad nos, ut habeamus in quos debacchemur? Ne vobis blandimini Chriſtiani; vos eſtis qui Servos Chriſti interficitis. Quot beneficia, tot Ser-

vi; quot admonitiones, tot Servi. Et contra, quot peccata tot contumeliæ, vincula, homicidia. Confessus est nuper aliquis, proposuit Deo accuratè servire, quid fecit nisi servum Dei tenuit: jam hodie peccavit, defecit, quid, nisi gratiam Dei contumeliâ affecit? & occidit; Et quanti sumus ejusmodi, quoties ita facimus! Sed nunquid semper silebit Deus? nunquam te Servorum tuorum non tanget injuria? non facies vindictam Electorum tuorū ad Te clamantium, & pro te? hominesque invitantium ad nuptias tuas die ac nocte? habebis patientiam supra illos? non, dico vobis: Sed faciet citò vindictam; dicit enim; Qui vos tangit, me tangit, tangit pupillam oculi mei: pro pupilla oculi sui putas non pugnabit? perdet sine dubio, homicidas illos, & Civitatem illorum succendet; aufe-ret Regnum Dei ab illis, & genti facienti fructus ejus dabit. Denique, quia vos non fuistis digni nuptiis, ex vicis & plateis domus ejus implebi-

tur;

tur; ex vobis autem viri Sanguinum, nemo guſtabit cœnam illam. Qui habent aures audiendi, audiant.

9. Rex cum audiſſet, iratus eſt.

SEra nimium vindicta Dei eſt, patet ad oculum: niſi tam ſera eſſet, nunquam hominibus tam peccare, aut liceret, aut liberet; nunc quia ſeram vident, nullam ſe viſuros putant. Sed enim ſicut ſera eſt, ita etiam ſeria erit vindicta illius. Divina quippe juſtitia, eò acriùs percutit, quò diutiùs tolerat, tantò dilationem ſupplicii gravitate compenſat. At quorſum hæc aut cui? illis enimvero, qui peccant quotidie, pœnitent nunquam, peccant plurimùm emendant nihilum; & quoniam tales ſumus omnes, prompti ad culpam, tardi ad pœnitentiam, ideò omnibus hæc loquor, & omnibus injuriam Dei denuntio, & dico; Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis. Quid? an divitias bonitatis contemnimus, an licet theſaurizare nobis iram in die iræ. ut fiat nobis ſupra modum peccans

cans peccatum, per bonum operans mihi mortem? Ecce accinxit se ira Dei adversum improbos, ecce manus ejus extenta, ecce arcum suum tetendit, & paravit illum, in eo posuit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit. Ecce Rex iratus est, Ecce misit exercitus suos plagarum, & perdet maleficos istos, nos scilicet omnes de terra. Et usque etiam lethargum dormimus, mala facimus, pœnas non sentimus, minas iramque non metuimus? quid facies ampliùs nobis Deus? aut tu impietas quo pergas ultra! an quia in profundum venisti, contemnis? non iram Regis, non candentem irâ vultum, non spirantem minas, Regis obtutum, non implacabiles exercitus, non perditionem tui metuis? Deus percussisti nos & non sensimus, vulnerasti & non doluimus, facta est plaga nostra incurabilis, jam nihil meremur, nisi ut securis ad radicem apponatur. Verum tamen patientiam habe in nobis, etiam hac vice; etsi non propter pœni-

nitentiam noſtram, propter miſericordiam tuam parce peccatis noſtris.

10. Ite ergo ad exitus viarum.

HEu! quam hoc verum nimis: Surgunt indocti & rapiunt cælum; docti autem cum doctrinis ſuis putreſcunt in cæno mundi, & inſanias falſas aucupantur. Quam id verum eſt? quod ij, qui tenuioris ſunt fortunæ, qui afflicti, qui corpore deformes, qui genere ignobiles, qui ingenio tardi, qui gratia & favore hominum deſtituti, majores ſunt in gratia apud Deum. Credo ideò, quia quæ ſtulta ſunt hujus mundi & contempta, Deus elegit; credo ideò, quia iſti tractabiles magis ſe Deo prebēt, cum contra illi alii, ſibi fidentes minus ſe putant Deo opus habere, minuſque Deum curant. Credo ideò, quia illi cum ſe mundo idoneos non eſſe vident, ad Deum vertuntur, iſti autem mundo ſe natos & factos putant. Hinc ipſi deduntur, ſubdunturque. Audite o ingenui, ó nobiles, docti, divites, gratioſi, ingenioſi,

for-

formosi, delicati; Etiam vos digni Deo esse potestis. Si propter hæc dona mundo placere vultis, qui illa vobis non dedit, placete istis etiam nobis Deo, qui illa vobis dedit. Gratias Tibi Domine, qui me pauperem in donis tuis fecisti, ne si ditior fierem, te deseram. Da mihi, ut his quæ habeo in laudem tuam & salutem meam, fructumque meum, uti possim.

11. Congregaverunt quos invenerunt.

VIri Zelosi & animarum aucupes, non faciũt discrimen; æquè prompti ad pauperem atque ad Magnatem juvandum procurrunt, in omni Anima, Christi sanguinem amant, non quia hujus Anima est, sed quia Christi sanguine redempta est, eam curant. Et te sic decet facere, cui Deus dedit hoc munus sustinere.

12. Vidit hominem non vestitum veste nuptiali.

NUm ego talis Domine Deus in his nuptiis Religionis Sacræ? inter tot Sanctos tuos nuptialiter vestitos, & mensæ tuæ accumbentes, quis scit

an

an non ſolus ego ſine veſte nuptiali! ô Domine ego Servus tuus, & filius ancillæ Tuæ. O Æterna Sipientia, cujus domeſtici veſtiti ſunt omnes duplicibus, fac me cuſtodire veſtimenta mea in domo tua, nè nudus ambulem, ne mihi unquam deſit ſanctificans gratia tua & charitas tua, faciens me perſeverare in ſervitio tuo in finem.

13. *Amice quomodo huc intraſti?*

MIrum ſanè. Vocatus, quæſitus intravit, & tamen quæritur. Quomodo intraſti? An nudus intravit? non puto: nam & Fides veſtis eſt, & cum Fide intrat, quiſquis intrat; alioquin non intrat. Nam & Fides oſtium eſt, & veſtibulum ad ſalutarèm viam. Quomodo ergo intravit qui ſic quæritur & interrogatur? Cadaver indutus venerat, mortuam fidem habuerat, vitâ charitatis, veſte nuptiali, ſerico gratiæ juſtificantis caruerat, quis non requirat, videns inter Convivas hominem Cadavere veſtitum, Quomodo huc intravit iſte

non

non habens vestem nuptialem? ó Charitas! Gratia! ó vestis nuptialis, quàm te pauci norunt! quàm pauci curant! quàm pauci habent! quam pauci prout digna es æstimant! O Anima mea, quid æstimas, si hanc non æstimas!

14. At ille Obmutuit.

QUid enim responderet? Vnum pro mille, non respondebit ei. Quid responderet iste convictus ignaviæ, audaciæ, contemptûs, superbiæ malitiæ, consummatæ nequitiæ? *Obmutuit:* Quis non obmutescat Deo judicium exercente, qui nihil objicit quod solutionem habet, quod autem solutionem non habet, dum objicitur, quis non obmutescat ad illud? *Obmutuit:* ille, qui semper promptus; ad excusanda, celanda, extenuanda, fuit peccata, nonne meritò obmutuit, quando ad judicium Dei venit? & vidit quia mentita est iniquitas sibi, & blãdita. *Obmutuit:* Ah me! quantam ego obmutescendi materiam habeo! *Obmutuit*; ó nunc, anima mea, ne da silen-

lentium Deo, ſi tu quoq; obmuteſcere non vis; Qui diligitis Dominum ait David, ne ſileatis, & ne detis Silentium ei. Cura ut tunc ei ſilentium des, ne ille tibi quidquam loquatur, ne quicquam objiciat; nunc verò, loquere illi tui cordis amaritudines. *Obmutuit*: Præ confuſione ſcilicet, quod ſine veſte nuptiali deprehenſus ſit. *Obmutuit*: ô ſilentium triſte & æternum! Deus meus ne ſic ſileam!

15. Ligatis manibus & pedibus mittite eum.

HOc quid aliud, quàm ademptâ merendi ultra gratiam Dei facultate, ſublatâ ſpe veniæ, damno æterno addici! quid hoc aliud quàm à Deo deſeri, ejici à facie miſericordiæ ejus, mitti in abyſſum deſperationis, in tenebras & noctem obſtinationis, & obdurationis odiique Divini. Anima mea, deſcende in hæc vivens, ne deſcendas moriens.

16. Multi enim ſunt Vocati pauci electi.

ET cur hoc mi Deus? niſi quia tu Do-

Dominus naturalis, & licet figulo facere, cum figmento quod placet, nec poteſt illi dicere, cur me ita feciſti, in contumeliam, non in honorem? An non licet facere mihi quod volo? dicet tibi. O homo! tu qui es, qui reſpondeas Deo! Domine humiliabor ego ſub manu tua, & formidabo à facie Judiciorum tuorum, illud ſolùm curans, ut ſerviam tibi, cum gratia tua & perſeverẽ, nec unquam recedam à te. Tu autem Domine Deus meus juſtus es, & rectum judicium tuum:

17. *Multi ſunt Vocati pauci Electi.*

HOc eſt, ô Domine, quod omnium Sapientum evincit captum, quod omnium Sanctitatem humiliat, hoc eſt, quod omnem robuſtum frangit & omnem audacem terret, Vocatum me video, electum ſcire non poſſum, quia pauci Electi; timeo, ut ſim inter electos paucos, & tamen ideò me vocatum puto, ut ſaltem eligerer, ſi non quia electus ſum, eligi non mereor, nec tamen eligar indignus. O altitu-

do Sapientiæ! multi vocati pauci electi, utrobique thesauri gloriæ Dei. Vocavit ne desperaremus de Electione, paucos electos dicit, ne præsumeremus ex Vocatione; temperavit utrumque, & quia vocavit, gloriam meretur & laudem, & quia paucos elegit, timorem vult & solicitudinem.

18. Multi vocati pauci electi.

TRanseat Domine, non scrutor judicia tua. Vocatus sum? vel hoc ipso quia vocatus sum, tibi servire propter hoc ipsum teneor, quia tu es dignus, & debetur tibi; Elegisti me? gratia tibi: abjecisti me? merui. Eligi dignus non fui, certè non debui; non enim erat in me quidquam cur eligi deberem cum nihil essem. Si ergo elegisti me, gratiam fecisti non debitum, si non elegisti, gratiam non dedisti, quia non debèbas. Ego verò sive electus, sive neglectus servus tuus sum & tu Dominus meus, teneor amare te, & volo servire tibi, quamdiu sum & quamdiu viro. Tu

Do-

Domine da ut semper velim, da ut possim da ut serviam; libertas tua sit tibi circa me, necessitas mea & naturalis obligatio, sit mihi circa servitium tuum, à me semper inviolata & illibata.

DOMINICA XX.
post Pentecosten.

1. Cum audisset quia IESVS adveniret.

REgulus, audito Christi adventu, occurrit, & rogavit pro filio mori incipiente. Ecce advenit JESUS descendens de Judæa cælesti, in Galilæam terrestrem; occurre ei, excipe illum, roga illum ut sanare velit te, & Animā tuam mori incipientem. Quid enim tibi ipse es sine Christo, nisi dux in præceps, nisi laqueus in mortem, nisi venenum ad perniciem? Curre ergo ad eum qui vita est, qui medicina, qui Dux in salutem: Curre ad illum, hoc solùm à te exspectātem, ut venias ad illum, cætera omnia præstare paratum. Hoc modicum labora,

hora. & invenies multam requiem. Abi ad illum, excipe illum, miserias illi tuas patefac, & desiderium cordis tui ipse retribuet tibi. O Domine! en ad te curro fontem vitæ, fontem luminis, torrentem voluptatis, Deum Dominumq; meum. En cor meum ad te pando, ecce miserias meas non sileo. Vides Domine infirmitates meas, sana illas per Sacratissimi Corporis tui munera & vulnera, ut vivam tibi fortis, vegetus, sanus, robustus, & nemo me ultra despiciat.

2. Abijt & rogabat eum ut descenderet.

POtest amor Carnalis in hominibus hujus sæculi tantùm, ut Regulus, ob morbum & mortem filioli, supplex fit Christo, cæteroqui pauperi, demittat se, pompæque obliviscatur, qui alias Christum, in prosperis degens, contempsisset. Heu dolor! Sic morbus carnalis facit humiles ex superbis! me morbi Animæ meæ, Deo supplicem facere non possunt.

3. Incipiebat mori.

O Stultitia humana! tum primum salutem curamus quādo jam serum quando jam anima est gutture hæret Ah quisquis vere Deum diligis, salutemq; tuam amas, dum tempus est, saluti animæ tuæ provide. jam in morte isthæc providentia provida sati esse non potest, aut vix potest. Si digitus corpori doleat, medicum vocas nec malum crescere negligendo sinis decumbit Anima, & negligis, & vix jam jam exspiranti succurris. Quæ ista dementia, quæ insania tandem est? Quinque sunt, quæ nos negligentes certe esse non sinunt in hac causa. 1. Quia Deus omni curâ curat salutem nostram, cuj nos deesse nequaquam revera decet; præsertim cum ille salvare nos nolit sine nobis. 2. Quia certum est, nobis, aut cum Deo in cælo, aut cum demone in inferno, & in æternum esse manendum, medium nihil dari. Certè nisi stultissimi sumus, cum Deo in æternum esse præeligimus. 3. Levi labore & industriâ potest parari vita æterna & leviori

viori certè quàm damnatio, aut saltem non majori, tantillum ergo laborem ob tantùm bonum non suscipimus? 4. Hostes sunt gravissimi, qui nos in hoc impediunt: dico multos, dico astutos, crudeles, robustos, assiduos; non est autem dementia his obsessum & vallatum, securè agere, vel ultrò etiam illis sese prodere? 5. Brevissimum omnino tempus est, quo salutē possumus operari æternam; hoc autem elapso, jam non datur operatio. Quidni ergo hoc tam pretioso tempore utimur? sed heu! abutimur potiùs illo; & quæ nobis relinquitur excusatio? Salus tibi, ô homo, dicit Dominus, ex me parata est, hac utere; aut si velis, elige alterum. Vivere aut periisse, semel opus est, at æternum est, nec locus remanet pænitentiæ.

4. Incipiebat mori.

OMnes planè dum vivimus morimur, & quantò amplius vivimus, tantò ampliùs ad mortem appropiamus; adeò ut vita sostra, nihil sit aliud, quam cursus ad mortem. Si ergo

vivendo, ad mortem currimus, cur non & ad bonam mortem? & si quantò diutiùs vivimus, tantò propius à morte distamus cur etiam, quãtò diutiùs vivimus, non paratiores ad mortem sumus? vides quàm se ista duo inferunt; Moriendum est? Ergo ad præparare debes.

5. Incipiebat mori.

QVid est mori incipere, nisi desinere vivere? Igitur à pari, Quid est incipere vivere, nisi desinere mori? at hoc ubi? ibi, ubi mors exulat in altera scilicet vita. Hæc vita quam vivimus, vita non est sed mors, & principium vitæ hujus est principium mortis. Porrò mors hujus sæculi est ostium ad vitam, estq; principium vitæ. Quantò igitur beatius est vivere quam mori, itemq; incipere vivere quàm incipere mori, tantò beatiùs est de hoc mundo per mortem migrare, quam in hunc mundum per nativitatem intrare, & in eo manere. Migratio enim illa seu egressus, est à morte ad vitam, ingressus verò iste

& mansio, est ingressus & mansio in monte; beatius ergo est mori quàm nasci; beatior mors nostra, Amemus ergo mortẽ nostram, plus quam vitam nostram; sed ita ut ad mortem parare nos studeamus in vita; non secus quàm ad mortem currimus ab hac vita, imò, hàc vitâ.

6. Incipiebat mori.

QVatuor hîc occurrunt digna consideratione. 1. Quid sit mori incipere? seu, quando homines dicendi sunt mori incipere? 2. Quare homines moriuntur? 3. Quis sit iste qui dicitur, Incipere mori? 4. Quomodo moriendum sit?

Quantum ad Primum.

TUnc homines mori incipiunt quãdo vivere incipiunt. Ratio, quia est tunc viverè desinunt quando mori incipiunt: atqui desinere, est incipere mori, & simpliciter emori: Tunc ergo homines incipiunt mori, quando incipiunt vivere. Quod sic declaratur. Vita hominis, est præsentia animæ in corpore, Sed præsentia ha-

bet morã, illa mora, dicitur longitudo vitæ; si enim diu moratur Anima in corpore, dicitur homo diu vivere sin autem non diu moratur anima in corpore, dicitur breviter vivere Nunc ergo, si vivere, est esse Animam præsentem corpori, & si diu vivere, est diu præsentem esse animam corpori; Sequitur, quod quandocunque anima dependere incipit in sua manendi mora à corpore, tunc statim definit homo vivere; atqui incipit dependere, cum primùm incipit vivere in corpore; igitur homo incipit mori. cùm primùm incipit vivere ita ut vivere nostrum nihil aliud sit quàm continuò mori. Quicquid enim de vita perdimus, hoc quasi moritur, perdimus autem hoc totum quod vivimus. Vnde non est homo dicendus tunc mori incipere, quando anima exit à corpore; tunc enim potius homo desijt, quàm incæpit mori, Sicut, non tunc hora effluit quando ultimus pulvis excidit, sed tunc potius effluxit, effluebat autem

toto

toto tempore, quo arena fluxit & fluere incœpit; non enim ultimus pulvis eſt hora, ſed finis horæ, ita non ultimum punctum vitæ eſt mors, ſed finis mortis; quare, quando vivimus tunc & morimur. O quantùm igitur attēdere vitæ noſtræ debemus! quantum curare, ut nullū ejus punctum, nō ſolùm otioſum non ſit, ſed & negotioſum, ô utinam ſciamus, quàm pretioſam rem perdimus, quando vel fruſtra, vel etiam male vivimus! vitam perdis ô homo, ô quanti æſtimas vitam! Vita noſtra ſimilis eſt candelæ, in qua ignis novus, novuſque ſuccedit priore pereunte, hinc illud, Accendimur, & extinguimur.

Quantùm ad Secundum.

QVare moriuntur homines? Quia ſunt ex contrariis compoſiti; contrariétatem iſtam ſequitur pugna, pugnam victoria, tū corruptio, hanc mors. Moriuntur homines, quia peccaverunt; ſtipendium autem peccati mors. Moriuntur homines, quia ſic decretum eſt; Statutum eſt homini-

bus semel mori. Et, Omnes nos manifestari oportet. Moriuntur homines; ut sciant gentes, quoniam homines sunt; hoc est, ut humiles sint; ut non diligant mundum aliquando deserendum, scientes se hic non habere manentem Civitatem; ut tantò magis ad cælestem gloriam promerẽdam contendant; ut pro operibus suis mercedem aliquando accipiant debitam: ut cogitent semper de vitæ emendatione, conenturque meliorem vitam facere sequentem quam prior fuit; & esse tales in vita, quales se vellent esse in morte; ut cedant priores sequentibus; cedant opibus, honoribus, dignitatibus, gloriâ, loco, dent aliorum industriæ locum.

Quantùm ad Tertium.

QVis sit iste qui in Evangelio mori incipere dicitur? Erat Adolescens, Regius, dives, Spes Parentum, hic tamen moriebatur! Multa hinc disci possunt; sed 1. Quia mors neminem excipit à suo jure, sed omnes moriuntur: omnia morti subdita

2.

2. Quia mors non servat ordinem rapiendi homines; non primò pauperem, postea divitem; primò ignobilem postea nobilem; primo debilem postea robustum, primò senem, postea puerum, vel tanquam puerum; sed passim variat alternatque vices, & æquo pulsat pede pauperum tabernas, Regumque turres.

Quantùm ad Quartum.

TRiplex est de morte opinio. 1. Naturæ. Hæc dicit; Mortem timendam; Terribilium omnium terrib.lissimum mors. 2. Mundanæ Sapientiæ: hæc dicit contemnendam: 3. Fidei Catholicæ Christianæ: hæc, naturæ consentit ex parte, mundo dissentit ex toto; mediâ vadit viâ. Hoc ut intelligatur; Sciendum est. Mortem spectari posse, vel in se, suaque natura, vel in Subjectis morientibus. Si naturam mortis spectas, timenda est, quia malum est; ducit enim ad non esse; & nisi resurrectio supernaturalis obstaret, æterna esset. Si diversitatem subjectorum morien-

tium attendis, est partim mala, partim bona. Hinc sequitur: Mortem spectatam primo modo, naturæ esse inimicam, & ideò etiam à Sanctis naturaliter timeri. In quo sensu Aristoteles dixit: Illam esse terribilissimum omnium. Et in Scriptura dicitur; ô mors, quàm amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantiis suis! Hinc fortissimus quisque, ad mortis memoriam pavet. Spectatam secundo modo mortem, & sequitur, metuendam esse, & optandam. Malus es, & mori debes? time. Bonus es & mori debes? gaude: Mors peccatorum pessima: ac, Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus: non tam mors quàm somnus, quies, ingressus in vitam. Vnde Christus dixit; Lazarus Amicus noster dormit. E contra; Malorum mors est, initium mortis suppliciique æterni. Hoc discrimen patet in illo Epulone Euangelico & Lazaro. O quàm felix hujus mors! quàm illius misera! Optabat nescio quis, Moriatur anima mea mor-

morte justorum, non impiorum; mors enim illorum est via & janua ad mortem secundam: Ego autem nolo nisi semel mori, quoniam sic statutum est. Secundam mortem Deus non statuit, sed nequitia adinvenit. Ex his omnibus, anima mea disce; Migrandum esse de corpore isto; Omnes morimur & quasi aquæ dilabimur in terram; hæreatque tibi in memoria mors ista semper, & illius recordatione, tanquam sale, condias omnia opera tua. Sit tibi tanquam pulsus horologii, excitans te ad agẽdum serio bonum, pro salute tua, non secus ac sonus horæ est tibi signum ad hoc vel illud agendum. Omnia mortem istam tibi inculcant, dummodo tu non negligas. O homo misselle! Hieroglyphicum mortis tu ipse; Somnus, vox, cibus, vita, fax &c. Imitare facem, in qua dum ardet, novus succedit ignis: Et tu, quoniam ardes & consumeris, semper tibi novus fervor innascitur in Perfectionis studio, in via Dei.

7. *Nisi signa & prodigia videritis, non credetis.* O In-

O Incauti & inconsiderantes! An pauca sunt quæ nos movere debent ad hoc, ut serviamus Deo, ut timeamus illum, ut diligentes simus in salute nostra; ut signis & prodigiis sit opus? Si credis Evangelio, quod dicit; Regnum cælorum vim patitur; Qui vult venire post me, tollat crucem suam; Estote perfecti sicut & Pater vester perfectus est: Quid signis habes opus? Verum tamen respice prodigia: Christum Deum, Hominem propter te factum, tam vilem, tam abjectum, tam miserum, crucifixum & mortuum. Non hæc prodigia? nulla sunt, si hæc non sunt; & si hæc non movent, nulla movebunt. Ad quid, inquis, ista me movebunt? O stulte! Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: ad hoc te moveant exempla ista.

8. Descende priusquam moriatur filius meus.

VIde, quo fervore hic pètit vitam filio. Rejicitur? supplex instat; tum nec increpationem attendit, nec ullam

nullam excusationem adfert, solis precibus agit; & quia instanter petiit, impetravit. O si sciremus Deo vim facere precibus! quantùm nobis impetraremus? Sed nunquid est orare, tepidè orare? ex usu orare, sine intentione, attentione, orare?

9. Vade, filius tuus vivit.

ILle Christum ut descendat rogat, Christus descendens sanat: quo facto, & probat fidem, & perficit in petente, & insuper divinitatem suam ostendit, quà, absens morbis medetur. Non vult, scilicet, Deus præscribi sibi modum salvandi vel exaudiendi nos. Oras? indifferenter ora, propone humiliter & ferventer orationem tuam, causam tuam ipsi Deo committe. Sapientior quippe est ille, quàm tu, & efficacior in agendo, quoniam potentior. Quod vel ex hoc Evangelio disce; In fide enim paternâ, statuit vitam filii, cum pater eam poneret in adventu Christi. Nunquam credidisset Pater se fide sua potuisse sanare filium, & tamen ita factum est;

Credidit Pater, ſanatus eſt puer ex illa hora. Vide igitur, ut Deo relinquas omnia, ſi vis impetrare omnia.

10. Cognovit ergo Pater.

GRatitudinis eſt, acceptum & impetratum beneficium cognoſcere. Vnde & credidit iſte Regulus in Chriſtum cùm domo tota. Tantùm ſcilicet illi profuit agnoviſſe beneficium unum, & aliud multò maius accipere. Et quidem, cum agnovit, à Deo ſanatũ filium in infirmitate carnis, mox ipſe ſanatus eſt cum tota familia, in infirmitate cordis. Non ſic ſæpe faciunt homines: petunt à Deo gratiam? impetrant; ſed ubi impetraverint, non cognoſcunt horam, non Datorem, ſibi induſtriæque ſuæ adſcribunt, unde & aufertur ab eis donum, gratiaque illis eſt in peccatum, & hærent in ſua ſpiritûs mendicitate, ac nuditate divitiarum Spiritualium, ſola autem ſuperbia & ingratitudo illis relinquitur. Pete ergo tu à Deo, ſed cum impetraveris; cognoſce datorem; & gratias illi tribue; ut ſic

&

& obtenta retineas, & majora impetres.

II. Credidit homo.

MAjus eſt miraculum quod hic crediderit, quàm quod filius cõvaluerit. O mutatio dexteræ! dat filio vitam, ſed Patri prius fidem, & tantam quidem, ut filium ſanare valuerit; Credidit, ibat, & quia credendo ibat, ſalvum filium recipiebat. O fides quid non potes! ſi tui alicubi, velut granum ſinapis particula ſit! Toties oro, nihil impetro; cur? Non credo, malè peto.

DOMINICA XXI. poſt Pentecoſten.

I. Simile eſt regnum cælorum homini Regi. Matth. 18.

COnſidera Dominum Jesum in Sanctiſſimo Sacramento ad te venire, & in hoc tanquam in throno reſidere, eo fine ut tecum, & cum corde tuo ponat rationem. Age, adduc ad eum omnem familiam tuam, omnia bona

bona ejus, quorum te Villicum & dispensatorem fecit. En ipse te de singulis examinat, tu rationem redde. Cur scilicet Intellectus tam vagus, inconsideratus in his quæ agit, dicit, cogitat, cur Voluntas tam irresoluta? tarda ad bonum, inconstans? cur Memoria tam rarò Dei sui, & gestorum Christi meminit? cur tam obliviosa beneficiorum, immemor judiciorum Dei, & pœnarum futurarum? cur passiones tam immortificatæ, imaginatio tam impura, sensus tam laxi? cur tam multos defectus, tamque graves patrasti? Vbi impletio propositorum factorum? qualis officiorum executio, observatio Regularum, conversatio cum Fratribus, Examinum orationumque cura, practicæ considerationes, alloquia, ubi? & qualia sunt? De his Christo redde rationem si non potes, deplora, & dic, Patientiam habe in me, & gratiâ tuâ adjuva me, & tunc omnia reddam tibi.

2. *Cum cœpisset ponere rationem, oblatus est ei unus.*

HEu me! vix cœpit mecum rationem ponere Deus, jam progredi nequeo, jam convincor debiti, par ſolvendo non ſum; & quid exſpectem niſi ut venunder? ô quanta debita contraxi apud Te Deus meus! Debita Naturæ, Gratiæ, Gloriæ. Et quidnam reddam tibi, ego unus, qui plurimùm recepi, plurimùm debeo, & ſolvendo non ſum! Vnus ego ſemper in hac miſeria debendi, idem ſum & unus; mihi conſto, & non cognoſco quid debeam. non curo ut ſolvam. O curæ, adeſte! & pungite me, hujuſque debiti commonefacite. Me mirari poſſes Auguſte, qui in tantis debitis, tam altum tamq; placidum dormio Evigila cor meum, & de ſolutione cogita, quænam erit illa inquis? Omnia exſolvere vis? omnia redde quæ ab illo accepiſti; ad paupertatem Spiritus te reduc: Non ſit tuum quidquam apud te: non poſſeſſio, non corpus, non ſcientia, non velle; nudus nudum Chriſtum ſi ſequeris, omnia reddidiſti Chriſto, omnia exſolviſti.

3. Oblatus est ei qui debebat 10000. talenta.

VIde in quantis te accusant, quam de multis debitis reddenda est tibi ratio? 10000. sunt, unde persolves, si nec unum quadrantem habes? Quod non habeas, audi; Quid habes quod non accepisti? Noli ergo dicere patientiam habe in me, & omnia reddam, sed potius misericordiam habe, ut nihil reddam: dimitte mihi quia non habeo unde reddam: Ut omnia reddas impossibile est, ut dimissionem impetres, faciet humilitas.

4. Debebat 10000. talenta.

NOn solùm vide quam multa, sed & quam varia? unum altero pretiosius est, quod debes; ideoque talentum dicitur. Vis scire quàm multa sunt, & quam varia? scito quanta accepisti à Deo beneficia, quàm commisisti multa & multiplicia peccata, quàm multa committere poteras; omnia ista debita sunt & hæc pœnitendo illa gratias agendo, pensanda sunt.

ſunt. Quàm porrò varia, vide Naturæ, Gratiæ, Gloriæ dona. Item, Bona Animæ, Corporis, Fortunæ. Item Bona præterita, præſentia, futura. Item à Deo, ab Angelis, à Sanctis, à Creaturis aliis, à proximis. Superioribus, æqualibus, inferioribus, a te ipſo; tu ipſe beneficium tibi es. Nihilnè Deo debes? vel hoc ipſo nomine quia te fecit, utque poſſes Deum noſſe, dedit Si te non feciſſet, nũquam Deum noſſe potuiſſes: quantus eſt Deus quem noſſe potes, tantùm eſt hoc beneficium. Neque omnino ſolùm quæ dona dedit tibi Deus, ſed & in qua perfectione & in gradu. Dedit illi naturam humanam ſicut & tibi, tibi cum meliore cõplexione, ſuavitate, robore, ſtatura, forma, proportione, educatione, temperie, ad ſciẽtiam, virtuteſque aptitudine; Unde hæc tibi, & hæc ſimilia? Iam gratiæ auxilia vide. finis non erit! At peccata oris, cordis, operis, omiſſionis, recognita, in te, Deum, Proximum commiſſa, quãtùs debitorum acervus? quan-

quantùs cumulus, quanta millia talentorum!

5. Cum autem non haberet unde redderet.

HIc planè exprimitur quid ſit homo. Debitor eſt, imò debitum; nec unde reddat habet. Vis deſcribere hominem? non aliter certè, quam ſic, Debet, non tamen habet unde reddat. Vis non debere? Debitum eſt. Quid igitur præſumes ô homo? Habes bona! debita ſunt; habes mala? debita ſunt, non habes mala? & hoc debitum eſt; Es aliquid? debitum eſt; es nihil? debitum eſt, ut ſis, debes, ut non ſis, debes. Quid ages? quocunq; te vertes, debes, debitum es, & tamen non de debito cogitas, tamen ſic te geris, ac ſi Deus debitor tuus eſſet.

6. Juſſit eum Dominus ejus venundari.

ISthîc homo deſcriptus, hic Deus. Quæris quid ſit Deus? reſpondeo ad captum tuum: Dominus hominis, Creditor hominis; cujus homo debitum, ſervus, mancipium; ille autem ho-

hominis abſolutus Dominus. Et tamen invenire eſt tales homines, qui putant ſe non teneri ſervire Deo, qui dicunt; Omnia pendent ex prædeſtinatione; Si ſum Electus, ſim licet peſſimus, Salvabor; Si ſum reprobatus, ſim licèt optimus, damnabor; Vivam igitur ut volo. O ſtulte! vives ut voles? cur? quia reprobatus es? at cur reprobatus es? quia Dominus Deus eſt, qui te reprobavit; at idem Dominus qui te bene vivere juſſit. Electus es? cur electus? ſi vives bene, vel quia vives benè? & tu vivere benè, non vis, quomodo eligeris ô ſtulte? Omnia pendent ex prædeſtinatione; Prædeſtinatio autem unde pendet? ex Voluntate Dei dices, & Dominio abſoluto; at ex eodem dominio & ex eadem voluntate, nata & data ſunt præcepta vivendi: ſi hæc non valent, ſtultè igitur, & fruſtra Deus præcepta tulit, leges condidit, & Sacramenta ſtatuit, fruſtra liberum hominem fecit, fruſtra in ſcripturis hortatur ad bonum, deterret â malo,

lo, frustra infernum fecit, minatur aut fingit. O stultè non vides quod te illaqueas? Prædestinavit te Deus, vel reprobavit, cur? quia Dominus est, & Naturalis quidem. Agnoscis igitur ex Deo dominium, cur non & in te servitium? Si ille Deus tuus, utiq; tu Servus eius. Si illi liberum facere tecum quod vult, utiq; tu debes facere quod ille vult. Si ille quod vult tibi imperare potest, utiq; tu quod ille jubet, facere teneris & obedire. O stulte Deum illum vocas, & te ipsum hoc ipso suffocas. Deus est ille; summum ergo bonum ille, dignissimus igitur, cui tu servias est ille. Non reddes illi quod debes illi? quo dignus ille est, tu illi negabis ut in digno? Deus est ille, tu igitur non Deus, sed opus & figmentum Dei: an non licèt figulo facere quod vult cum figmento, an non debet facere & subire figmentum, omne id, quod vult figulus? Ergo dic Deo; Indica mihi cur me ita iudices? O stulte licèt tibi calcare terram, percutere asinum, ex-

scin-

ſcindere arborem, extinguere ignem, ſiccare aquam, quid non facere! quo iure? illo ſcilicet quod tibi dedit, qui tibi omnia ſubdidit; non licebit illi facere tecum quod valet, qui fecit te? Expulit Deus à facie Iſràel tot populos, & delevit, juſſit Ezechieli, Ieremiæ, Iſaiæ, tam mira, tam abſurda, tam juri naturæ & Divino repugnantia facere, quo jure? ſuo; quia Dominus eſt. Spoliaverunt Iſraëlitæ Ægyptios? juſſit Deus. Fænèrabantur gẽtibus? permiſit Deus. Oſee fornicariam duxit, & uſus eâ eſt? iuſſit Deus; alter ſtercus voravit Nazarius? juſſit Deus, Tu homule reſiſtes Deo? Dic tu, dic ô cor meum. Nonne Deo ſubjecta erit anima mea? illi Deo, qui cum vult, & ob quæ vult, poteſt me venundari jubere; etſi ego cauſam non dabo, jus tamen ille habet, & injuriam non faciet mihi, ſed iure ſuo, & dominio utetur. Sic crede & tene, & vives.

5. Iuſſit eum venundari.

VEnundari à Deo quid eſt, niſi abj-

ici ab ipso. Qui rem venundat, eam à se alienat, & alterius Domini facit. Quando igitur Deus venundat, in alterius transmittit possessionem. Væ illi, quem Deus venundat! Quò enim ibo à facie Tua Deus? aut quis mihi Deus extra te; si Tu Dominus meus non es? Nolo alios mihi Dominos præter te Deus meus, cui Soli dominium competit. Venundas tu Domine à te illos quibus dicis; Discedite maledicti. Hæc est venundatio tua. Sed nimirum tu neminem à te venundas, nisi qui priùs se venundedit à te, vel Creaturæ alicui, vel Creaturarum pessimo diabolo. Meritò enim is venundatur ei invitus, qui sese ante eidem vendiderat spontaneus. Anima mea adhære Deo, si ab illo venundari non vis.

8. *Misertus autem Dominus eius dimisit eum, & debitum dimisit illi.*

O Bonitas! ad unicam vocem misertus est, & decretum venundationis mutavit; dimisit eum liberum, insuper debitum omne indulsit in per-

petuum. ô quantæ bonitatis condonationes! ille petierat dilationem, iste dat condonationem. O quàm bonæ sunt licitationes tecũ Deus! quàm lucrificæ! Promittimus emendationem tibi, & modicum quid satisfactionis, tu autem omnia dimittis debita nostra, & peccatorum nostrorum recordari non vis amplius in æternum. Sæpe hoc promitte anima mea, ut sæpe talem gratiam obtineas ab ipso, & plenariam Indulgentiam consequaris ab illo.

9. Suffocabat eum dicens, redde quod debes.

O Quàm citò obliviscimur Propositorum nostrorum, nostræ miseriæ, nostræ pœnitentiæ! Ipsi debemus, condonationem, accipimus, & tamen exigimus debitum, nec misereri volumus. O quàm sæpe injuriolas nostras & debita, exigimus avarè & crudeliter à proximis, quorũ nunc ipsi a Deo consecuti fuimus veniam. O nostram nequittam! misericordiã volumus à Deo, cui infinita debe-

mus, ipsi misericordiam negamus illis, qui nobis modicum quid, verbulum alioquin unum debent! *Suffocabat eum.* Quid est sufffocare proximum, nisi ad calculum requirere, & exigere plenam ab illo & copiosam satisfactionem, nec misereri fragilitatis ipsius, intercludere illi vocem precum, nec ad preces ejus attendere: Redde quod debes; Ah redde! quàm immemores quæ debemus aliis! omnes libenter loquimur, Redde quod debes; & nemo libens audit, Redde quod debes.

10. Serve nequam omne debitum.

VIde, quam malum sit meminisse injuriarum, meditari vindictam. Ipse servus obtentam misericordiam perdidit, quia alteri conservo eâdem negavit. Solve hoc argumentum Domini: Serve nequam, omne debitum dimisi tibi quia rogasti me, nonne & te oportuit misereri cõservi tui, sicut & ego tui misertus sum? Solve inquã hoc Argumentum Deo, & eris Sapientior Deo.

11. Non-

11. Nonne oportuit & te misereri conservi tui? &c.

VIde causam & motivum, quo te moveri decet ad curandas proximorum animas. Misertus est Deus tui, & ita quidem copiosè misertus, ut possis, & ipse aliorum misereri; ad quid igitur pigritaris & donum Dei detines in avaritia & iniquitate? laboravit pro te Christus, tu non laborabis pro proximi anima quam redemit Christus? pepercit tibi Dominus & peccata donavit, non tu parces injuriâ afficientibus te?

12. Si non remiseritis de cordibus vestris unusquisque.

MUlti se remisisse jactant injurias, & mentiuntur; dicunt se non esse averso animo, & fallunt; nam nec loqui de illis planè bene possunt & solent, nec ad eos fiducialiter accedũt, nec eos ad se admittunt; suaviter & facilè de eorum moribus loquuntur, & si quid illis sinistri accidat, nonnihil saltem gaudent; quæ omnia demonstrant, non esse de corde remis-

ſam injuriam & offenſam. Quam ſimulationem pœna quæ ſequitur? exprimit Chriſtus in hac Apoſtoli hujus Evangelii; Sic & Pater meus cæleſtis, faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſq; fratri ſuo de cordibus veſtris, Quomodo Sic? nempe, iratus Dominus Servo, qui nolebat debitum remittere conſervo, tradidit eum tortoribus quoadusque redderet univerſum dibitum.

DOMINICA XXII. poſt Pentecoſten.

1. *Cujus eſt hæc imago? Mat. 22.*

IMago Chriſti, Panis; imago IESU, panis: Ego ſum panis verus, ait ipſe de ſe ipſo, qui de cælo deſcendi. Ideò in lege veteri, Panes Propoſitionis, bene Panem iſtum deſignabant. Et Manna illud, manifeſtiſſima figura hujus Sacramenti. Vocatur Panis Angelicus Chriſtus: ergo in Sanctiſſimo Sacramento eſt Panis. Panis eſt præcipuum Corporum alimẽtum; &

Hic Panis, præcipuum eſt animæ edulium: Et multis conſtat farinæ granis, & Chriſtus, veſcentium ſe, unit corda. Igne panis coquitur, & Chriſti Corpus igne Caritatis; reſtatque hoc pane frui utiliter. Unus omnium cibus panis eſt faſtidium non parit, niſi infirmis aut palatum corruptum habentibus; Et Sanctiſſimum Sacramentum tale eſt, quo Sancti ſatis paſci non poſſunt quoque ſolo paſci cupiunt, & quo paſci nolle, eſt extremam miſeriam ſubire, & emortuæ ſignum animæ. Amicorum eſt, ſeſe pane invitare, & hac invitatione amica convivia deſignare, & Chriſtus in amicitiæ perpetuæ ſignum, hunc Panem nobis reliquit; noſque dum ei conjungere dextras amicas volumus, hoc pane invitat, & largiter ſatiat. Vere igitur imago Chriſti Panis. Et tu anima mea, quoties ſpeciem panis conſideras, inquire, Cujus eſt hæc imago? & ſic Chriſti in Sanctiſſimo Sacramento recordare.

2. Vt caperent eum in ſermone.

ADverte quam cautè loquéndum ſit tibi, ſi quo ſermone utendum eſt; quia à quo minime ſperas, & à quibus minime metuis, ab iſtis capta-ris in ſermone, ſi fortè tanquam aves cæli portare poſſint voces tuas. Unde dicitur, Qui non offendit in verbo, hic perfectus eſt. Vir, perfectus planè: quia, qui ſcit loqui & tacere tempore convenienti ille & pacatus & humilis, & fervens, & in Deum elevatus eſt; ideò dictum eſt. Mala aurea in lectis argenteis qui profert verbum in tempore ſuo. E contra verò ſtultus verba multiplicat, & in multiloquio non deerit peccatum.

3. *Vt caperent eum in ſermone.*

CHriſto inſidiæ in verbis ſtruuntur; Tu num te ex parte ſermonis tutum putas? & non potius petis à Deo, Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis, daque mihi ut faciam pondus verbis meis, & ſtateram ſermonibus oris mei. Quare anima mea ſerva Apoſtoli præcepta. Omnis homo tar-dus ſit ad

loquendum, velox ad audiendum; ſitque iuxta præceptum Chriſti ſermo tuus, Eſt, Eſt, Non Non. Nam quidquid abundat, à malo eſt. Sectare ergo paucitatem vrborum, quàm potes maximam: eſto tardus in loquendo, & quodvis pōderans verbum, potiſſimùm autem incaleſcentes inter loquendum & ad confidentiam declinantes ſermones, proſcinde & declina.

4. Scio quia verax es.

ADverte primò, quanta ſit vis veracitatis, quæ ab hoſte laudatur, Fuge ergo ambiguitates, multò magis mendacia; nam qui verax eſt, Filium Dei ſe probat, qui verò mendax, filius diaboli noſcitur. Adverte ſecundo quod triplex ſit Veritas; Sermonis, Cogitationis, Operationis; eaq; ad tres: Deum, Proximum, Teipſum. Ad Deum corde verax eſt, qui puram habet intentionem, ad Proximum qui illum ſicut ſe diligit: ad ſe, qui animam corpori, qui curam Spiritûs, curæ carnis præponit. Ore ad Deum

verax eſt, qui in omni opere Deum laudat, & tam pro lætis quam pro triſtibus, gratias agit illi: Et ad proximum; qui cum illo dolosè non procedit. Ad ſe, qui hoc de ſe quod eſt, & quod non eſt, ſentit. Opere ad Deum verax eſt, qui ſemper hæc quærit agere, quæ ſint ad majorem ejus gloriam. Ad proximum, qui proximo meliora, ſibi viliora eligit. Ad ſe, qui propter humanos reſpectus, à virtute non recedit, nec hypocritam agit:

5. *Et non eſt tibi cura de aliquo.*

NUllo alio motivo citiùs crebriuſque homines amoventur à via virtutis quam reſpectu humanarum perſonarum. Unde, qui verus Servus Dei eſt contendat, ſi in aliquo, in hoc eſſe magnanimus, ut ſcilicet nolit ſeſe in ſpeculo oculorum alienorum cõtemplari, ſed hominum judicia ſenſuſque contemnat, minimeque curet, aut illis placere aut diſplicere Certiſſimum enim eſt iſtud Pauli, Si adhuc hominibus placerem ſervus Chriſti.

ſti. non eſſem, ubi nota illam vocem *Adhuc*, innuit enim, tamdiu hominem fore imperfectum, quamdiu humanis reſpectibus laborabit, hoc eſt reſpicere perſonam & curam habere de aliquo, nempe facere aliquid propter perſonam, loqui ad gratiam, laudare malum, negligere bonum. Vt verò te non pigeat pugnæ cum oculis hominum, aſpice oculos Dei cuncta cernentis, iis placere contende: hoc ſi effectui dederis, peracta res eſt, perfectus es, ſanctus es, beatus es. Ad horum oculorum conſiderationem, & reverentiam, invitant te illa quæ ſequuntur in hoc Evangelio, Cognita Jeſus nequitiâ eorum! quam cognovit, non ſanè ex illorum relatione. ſed ex cordium penetratione. Hos ergo oculos time, ne illis diſpliceas, hos oculos quære, ut eis placeas.

6. *Quid me tentatis hypocritæ.*

SIc Chriſtus ſæpe ad corda noſtra dolo plena loquitur, dum videt nos noſtra facta, dicta, cogitata velle tegere vel oſtendere quàm juſta

 ſint.

sint. Quid est dicere, Quid me tentatis? nisi, Quid vultis vos ostendere bonos, cum sitis mali? sepulchra dealbata estis, intus plena spurcitiis. Quid est Domine, quid me tentatis? nisi, Quid à me nocitura vobis postulatis, & indignamini si non facio quod vobis noxium scio. Quid est Domine, Quid me tentatis? Nisi quousq; meâ patientiâ abutimini, & supra dorsum meum fabricas peccatorum & impœnitentiæ erigitis? quasi ideo 30. annos patiar vos, ut vos prolongare possitis iniquitates vestras, & non magis pœnitentiam agere? Quid est Domine, Quid me tentatis? nisi, Quid præsumitis de vobis viribusque Sanctitatis vel gratiæ apud me: Gratiæ vestræ fiditis, ideoque vos in occasiones peccandi ingeritis, quasi securi & certi de salute sitis. Quid est Domine, Quid me tentatis? Nisi cur vestram nequitiam pallio Sanctitatis tegitis, & aliis vos venditis; foris aliter quam intus estis, alios vos in oculis meis geritis, alios

omni-

omnino in oculis hominum ostenditis; meos oculos non timetis, hominum aspectus formidatis, clam male de proximo loquimini, infaciem autem eidem adulamini.

7. *Ostendite mihi numisma census.*

O Domine quoties tibi offerimus censûs operum nostrorum, quoties dicimus, nos hæc, illa, pro gloria tua laborare, in quibus nihil est horum quæ dicimus. Quomodo effugiemus, cum dices, Ostendite mihi numisma censûs: cum dices, Cujus hæc imago? Mihi offertur opus hoc, at inscriptio, at imago meum negat; quia dicit illud esse Superbiæ, Vanæ Gloriæ, Ambitionis, Commoditatis propriæ, Amoris servilis & mundani, Politicæ æmulationis, Inobediētiæ, Scandali, Propriæ Voluntatis, Fraternæ Charitatis violatæ. Et cum hæc ita sint, tamen tam sæpè offerimus tibi hos censûs, aut quid te tentamus hypocritæ? si tuus census est, si tuus denarius, Vbi metalli puritas ubi sonus? ubi pondus, ubi imago? ubi inscri-

inſcriptio te proferens? O ſi audiamus te quotidie dicentem, Oſtendite mihi numiſma censûs; Cujus eſt hæc imago? O ſi quotidie recordaremur dicturum te aliquando nobis, Cujus eſt hæc inſcriptio? O Anima mea audi Chriſtum tibi in quovis examine conſciētiæ dicentem; Oſtende mihi numiſma cenſus hujus diei exactæ, beneficiorum acceptorum, occaſionum ad bonum ſuppeditatarum animæ. Ubi cenſus? ubi gloria? Ubi mei memoria? ubi honor? ubi gratia? Uſurpa etiam ipſamet verba hæc quoties hoſtes tui ad te veniunt, hoc illudq́ ſuggerunt ac ſuadent, dic eis, Oſtendite mihi numiſma hujus cenſus; Cujus eſt hæc imago & inſcriptio & intentio, propterquàm vultis hoc faciam? bonum ſuadetis, ſed ſub melle iſto venenum latet.

8. Cujus eſt hæc imago?

PEccandum eſt? at hoc peccato anima fœdabitur; Anima autem eſt imago Dei; antequam pecces, quære primùm, Cujus eſt imago quam macula-

cula-

culaturus sum? Dei est, proinde non pecco. Injuriam mihi fecit proximus; Malè mihi vel de me locutus; Passio iræ ultionem meditatur; inquire primum. Cujus est hæc imago? Ille est homo similis mihi, ad imaginem Dei, parcam, & imaginem Dei honestabo. Accidit aliquid triste à Deo permissum, impatientia & tristitia murmurare cogunt & conqueri, quæro Cujus imagine hic census est insignitus? non conqueror, Divinæ providentiæ acquiesco. Suadet dæmon sub Specie recti, decipit fidem, vide recti istius voluptatem. In fine & novissimo mordebit ut coluber; hæc ejus imago, dic Fugiam Cognoscendus est homo. Studia, vita, sermones; vide cujus est hæc imago? Cognosces si canum si caprarum si asinorum, si leonum, si luporum, si dæmonum fuerit, tunc illi adjungeris? tu, te caribus, porcis, ursis, leonibus, honestè & tutè consocies? O imago Christi! quam ego vitâ efformandam suscepi, in ea perfecta jam, limata jam,
ex

ex amussi perfecta, adhuc rudes non duxi lineas, & adhuc multùm ab extrema distat manu.

9. Reddite quæ sunt.

HÆc est Lex justitiæ suum cuique tribuere; Iustitia debitum respicit & æquat. Et tu ergo si justus esse vis, debitum tuum, quod cuiq; debes cognosce, & adæqua, legitimeq́, redde. Redde in omni opere tuo Deo gloriam & Gratiarum actionem, diabolo vanitatem, mun-do contemptum, carni afflictionem; animæ curam, tibi nihil reserva: Sic enim faciens, reddes quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ Dei Deo.

DOMINICA XXIII. post Pentecosten.

1. Si tetigero fimbriam vestimenti ejus, salva ero. Marci. 5.

ANima mea aspice Sanctissimum Sacramentum oculis cordis, & simul cogita miserias tuas, quas non duodecim annis, sed ex quo in mundum egressa es, pateris, & te talem cognoscens,

ſcens, cum maxima fiducia & reverẽntia, & humilitate, dic intra te ex corde: Si tetigero tantùm fimbriam veſtimẽti Chriſti mei ſi illum in Sanctiſſimo Sacramento latentem, & tanquam laciniâ tectum tetigero, & ei communicavero, ſalva ero Crede ô Anima mea, quod ſi ita prout dixi poſtulabis, convertetur ad te miſericordiſſimus IESUS, & videns te, dicet tibi: Confide filia, fides tua te Salvam fecit; & ſanaberis ex illa hora.

2. Domine filia mea modò defuncta eſt.

HOc quoq; tu Anima mea dic Chriſto Domino: Ecce Domine, defecit Spiritus meus, non eſt mihi currere poſt te nunc, ſicut nuper, ingredere ad me, veni in domum meam, impone manum tuam ſuper me, potentem miſericordemque ac divitem, & vivam curramque poſt te fortiter, ferventer, conſtanter.

3. Modò defuncta eſt.

PEnetra hoc Modò. Modò, igitur, id eſt, Nunc, nunc defungendum eſt. Modò; quomodo, quo genere mor-

mortis ignoro. Curandum scilicet est, ut in te debito modo obeam, Modò, qua post mortem conditione? vitæ an mortis æternæ? quis novit? Modò; si ubiq; etiam amicissimi auxilio me comitentur in illam viam. Modò; sibi dum fingeret ille & iste varios modos, raptus est, & ego fortè rapiar. Modò; dum aliena cogitamus, spectamus, morimur, Modo quando jam mors instat; Modò omnes intendimus Modis; & omnia penè in nostra vita Modi! Modalistæ sumus omnes. Quando vivam, quando parabo opes, quando gloriam, quando dignitates, quando illum decipiam? devastabo? quando ulciscar? Nemo autem cogitat, quando moriar, & ex hac vita migrabo? Et tunc beatus est planè qui moritur bono modò, debito modo, quia post mortem gaudet de isto modo, sine modò. Modò, sine modo mors est, quid quæris contra illam modum? illud potiùs quære, quis cũ morte & in morte modus? Juvanda est anima, quis modus? sanandum est cor-

corpus, quis modus? timendus dolor, quis modus? diſponẽdum de rebus, quis modus? Anima feſtinat egredi quis modus? amicorum turbæ fugient circumſtantes, quis ſolandi modus? Luctus nihil juvant, ſed gravant, & quis iſte ſolatii adhibetur modus mortuo? O Modò ſi tui recordaremur! modò, quàm nos mutares in alium modum! ô Modo, de te non curſim cogitaremus, ſi te penetrare & præcipuè invenire & tibi inſuefere conaremur? o Modo cum veneris, quàm in alium, quàm in mirum quàm in miſerum nos vertes mutabiſque modum.

2. *Et ſurgens, ſequebatur eum.*

VIde quam promptus currat IESUS ad ſanandum hanc puellam, ad ſolandum pueros, nec dicti unius moram facit, continuò ſurgit & ſequitur Patrem mœſtum ad mortuam puellam, licet ſciret quòd in iſta domo eſſet deridendus. Diſce & tu, promptitudinem in laboribus pro ſalute animarum promptè ſubeundis, ut ad

ſignum

signum unum, ad unicam occasionem, juvandæ Animæ, caritatis Proximo Fratriq; præstãdæ, consurgas, ac curras, nec tardes, nec moram facias, nec alium qui id præstet demonstres, aut ire posse dicas. Hoc te Christi exemplum docet, de quo vides scriptum; Et surgens JESUS, sequebatur eum. Cura ergo & tu, de te addi possit; quod statim sequitur; Ut discipulus ejus, exemplo ejus.

5. *Ecce mulier quæ sanguinis fluxum.*

HÆc mulier animæ tuæ typus est. Laborat enim ipsa perenni fluxu cogitationum otiosarum, judiciosarum, curiosarum, carnalium, superbarum, tristium, murmurantium, suspiciosarum, & quidem non à duodecim annis, sed ex quo ratione uti cæpisti. Quod si istud profluvium vis sistere, applicando mentem unius rei Creatæ amori, nonne deteriùs habes; cum hic medicus malus sit; & præterquam quod hoc sit, etiam erogas omnem substantiam frustra, exponisq; te æternæ mortis periculo, eò quod aude-

audeas neglecto Deo, quietem tuam & opem & amorem quærere apud Creaturas.

6. Mulier quæ ſanguinis fluxum.

CONſidera tuam negligentiam in cogitationibus reſtringendis. Si te bene examinas, nulla res apud te magis neglecta, quam cogitationes. Cum ergo ſis ſimilis huic mulieri, & eo modo ſis affectus, ſequere eam in quærenda medela. Abivit illa ad Iesum, acceſſit retro, tetigit fimbriam, ſanata eſt. Fac ſimiliter, ſi vis cogitationes reſtringere: applica ad Jesum amorem tuum, in eo mentem defige, cor tuum ſtatue in illo, & profluvium tuum ſtabit. Quod amamus, & cogitamus. Si amor viſibilis, & cogitatio talis. S. Fulgentius ait. Vis ſcire quod amas? vide quod cogitas. Idem dico ego; vis ſcire, cur otioſa cogitas? quia otioſa ſunt, & vana quæ amas. Vide igitur quid ſit quod utilius ames quàm Iesum; vide ubi amplior cogitatio, vel dulcius quid invenies quàm Iesum. Allide ergo Fi-

lios

lios Babylonis ad hancPetram, & ad Christum cogitationes affige. Pereãm, Dulcissime Iesu, æterna Sapiẽtia si de te non cogitavero! Venit retro mulier infirma. Et tu te indignum aspectu & facie Christi reputa; retro veni, & scias, qui sis & qualis. Retro veni, verecundus & humilis: retro veni, tanquam servus; retro veni, tanquam imitator vestigiorũ Christi retro veni, tanquam captator occasionis; tunc Christus ad sanandum mortuum ibit. Hæc mulier infirma occasione usa est, & à morbo sanitatem quærebat; opportune venit, plene invenit. Opportunitas in Christo semper est, sed non semper in te. Non venis opportune, si te tui non pudet, si te reum multorum non agnoscis, si te peccatorum non pænitet, si corrigere piget.

7. *Tetigit Fimbriam.*

NOn corpus, sed vestem; nec quam vis partem, sed extremam; non carpsit non scidit, non tenuit, ut David, ut Ieroboam sed tetigit reveren-

ter,

er, humiliter, confidēter. Totus quidem Salvator Christus, totus est sanitas, mirum est, cur in fimbriâ sanitatem exerit. Vita Christi vestis Christi, Fimbria vestis eius, vita ultima ejus, quæ ista? Passio. Hanc tange quisquis sanari vis; Passionem Christi recole, quisquis proficere & Sanctus esse vis. Fimbria est salutis, Mors Christi, Crux, Vulnera, Spina, flagella. Quis mihi det tangere vos, cōsauciari à vobis, emori vel à vobis, vel in vobis vel pro vobis! Hæc mea deinceps sublimior Philosophia, scire Iesum, & hunc Crucifixum. Da Iesu, & dicam illud Pauli, Verè & semper Christo confixus sum cruci: Cum confixus est Paulus cruci, quo confixus? Christo. Quid ais? an Christus clavus? & fortissimus quidem. Quis nos separabit à Charitate Christi? Ubi Christi Charitas? in Passione, in Cruce. Clavus ergo Christus est, quo affigimur Cruci: nam quis posset pēdere in Cruce, nisi affixus esset amore crucifixi, hoc est ipso Crucifixo, i-

pso Christo. Sic vive Anima mea, sic morere, si vis sanari à plaga tua.

8. Recedite, non est mortua puella, sed dormit.

QVàm facilè huic dormitare tam facilè Deo mortuum suscitare; quod enim respectu nostri homini est somnus, hoc respectu Dei, vincula mortis. Agnosce ergo Anima mea Christum esse Dominum vitæ & necis, in ejus manu esse jura mortis, & si aut te, aut quemcunque alium mortuum esse metuis vel doles, ad IESUM accurre, & Regem cælorum vivum adorans deprecare. Disce etiam ex his Christi verbis, Neminem ante tẽpus judicare. Vides aliquem aliquid facientem, quod malum tibi videtur, putas aliquem esse desperatum planè in malitia, audi Christum de illo dicentem; Recedite, non est mortua ista sed dormit; si cadit, Domino suo cadit; potens autem Deus statuere peccantem! ô quàm frequentia, quàm facilia sunt in ore nostro judicia: & quis nos constituit judices super proximos

ximos nostros, nisi superbia nostra & cæcitas? nam si nos ipsos judicaremus, non utique vacaret nobis alios judicare, nunc autem à Domino corripimur.

9. Deridebant eum.

VIde; Perfidia, Stultitiaque irridet Sapientiam! sermones ejus non capit. Dixit Christus: Non est mortua, at illi deridebant eum. Disce tu hinc, non facile prorumpere ad aliorum dicta carpenda, & opera judicanda aut contemnenda. Disce propter alienas irrisiones à virtutis opere, nequaquam recedere. Nihil homo scit ubi sensus & oculi hominum consuluntur; propter Deum vitam bonam inchoasti, propter Deum in ea perseveres.

10. Turba ejecta intravit IESVS & tenuit manum.

FRustra Iesum in domum cordis inducis aut trahis, si turba domum implevit. Ecce turba passionum immortificatarum, pravarum cogitationum, curarum inutilium, ejice eas,

tunc

tunc intrabit Iesus & tenebit manum tuam. Miraris non succedere lectiones? nempe quia domum impleverunt turbæ affectuum variorum. Non te affectibus rege, eiice turbam venientem, Ducem adhibe, practicis considerationibus utere, intrabit Iesus.

11. Puella tibi dico surge.

MOrtuæ Puellæ, non dicit Christus, Redi ad vitam, sed Surge, quasi non mortuæ, sed dormienti. O quoties anima mea, tibi per annum, per mensam, per horam, per momenta dicit Iesus Surge, Surge qui dormis, tu autem nunc non consurgis? an tu magis mortua, ô Anima mea, quam ista puella? illam Christus voce excitat a morte, te non potest clamoribus & pulsibus à somno. O quam pestifer hic somnus lethargicus! Imitare deinceps anima mea mortuam hanc, observa divinos motus, vocem ejus audiat auris tua, negligens in inspirationibus eius suscipiendis non sis. Est quidem somnus iste tibi dulcis, sed lethalis: molesta autem exci-

cita-

citatio sed salutaris. Utère ergo molestiâ, si vis salutem.

12. Non est mortua puella, sed dormit.

MOrs malis est fur, somnum rumpens; bonis, est somnus, quietem adferens. Est fur malis, ut Holoferni, ut Sisaræ, Isboset, Samsoni, Sauli. At bonis est somnus Leoninus; Catulus Leonis Juda; &, Quis suscitabit illum? Illi si leonum adipe inungantur, innoxii dicuntur ab omni ferâ; Christus Leo; securè dormire vis, & à bestiis inferni non lædi? Christus adipe Gratiæ suæ, & Sanguinis sui te inunget.

DOMINICA XXIV. post Pentecosten.

1. Ecce hic est Christus. Mat. 24.

ECce desiderium cordis tui tribuitur tibi ô homo; dilata cor tuum. Ecce dilectus noster stat post parietem nostrum, respiciens per cancellos, prospiciens per fenestras. Ecce hic est Christus, hic sub ista Specie Panis, sub hac vini specie, in hoc Al-

tari, manu, lingua, ore, corde, visceribus tuis. Ecce hîc est Christus tuus, quem timebis? Ecce hîc est Christus tuus. quid tibi deerit? Ecce hic est Christus, tu peccabis; Ecce hic est Christus, tu te cæcum geres! Ecce hîc est Christus, non facies illi submissi cordis honorem? Ecce hîc est Christus, non miraris, non gaudes? non ad pedes advolveris? non te illi devoves? Ecce hîc est Christus, putasné aliquid deesse? Ecce hîc est, & cur tamdiu in te aliquid Christo inimicum respondet? in his verbis, ô homo, quidquid vis, habes. Æger solatium, pauper divitias, immundus balneum, nudus vestem, famelicus cibum, sitiens potum, timidus robur, denique qui nihil est, habet omnia.

2. *Cum videritis abominationem desolationis in loco Sancto.*

QVid est abominatio desolationis in loco sancto, nisi peccatum in corde, nisi tepor in Spiritu? an nescitis, ait Apostolus, quia corpora vestra templa sunt Spiritus Sancti?

Si

Si Corpora, multò magis Anima, utique enim Anima plus eſt quam eſca vermium, ſaccus ſtercorum, corpus. O quanta abominatio deſolationis in corde meo Deus meus! Quid eſt? uſq; adeo inſedit tepor iſte malignus & tepiditas meledicta, ita ut non poſſim currere ſicut heri, & nudius tertius quando corde dilatato & fervēti ſerviebam tibi Deo meo? Et quidni mireris Domine ſicut olim; Quid eſt quod dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa? ſanè multa quia conſummatio omnis nequitiæ, tepiditas.

3. Abominatio deſolationis in loco Sancto.

HÆc nihil aliud eſt, niſi invadētia ſcelera, pullulantes curæ, in Eccleſiaſticis deſideria ſæcularia, quibus omnes quærunt quæ ſua ſunt, non quæ Iesu Chriſti: vanitas in prædicatoribus Evangelii, quà ſeipſos prædicant; Scandala in Religioſis foras prorumpentia. O quis Sapiens & intelligit hæc! ô quis tollet ſcandala de Regno Dei! Meſſis multa, opera-

ri autem pauci! Utinam consurgat aliquando zelus Patrum nostrorum. Utinam convertantur corda Patrum in Filios & convertamus populos ad Dominum Deum ipsorum! Principemq; hujus mūdi & abominationem desolationis, ejiciamus foras de loco Sancto, ornati gladio, zelosi discretique Spiritûs.

4. Væ prægnantibus in die illa!

NUlla re magis inferna abundāt atque suâ voluntate, & bonis propositis; sed væ prægnantibus! neq; enim apud Deum locum habet Corvina vox, Cras, Cras; Quàm multi multa nos facturos pollicemur, & nihil facimus? interim nos mors, in ira Dei, prægnantes & parturientes occupat, atque in tartara mittit, locum pænitētiæ non relinquens: quoniam apud Deum, non quid volueris, sed quid feceris æstimatur. Similes enim sunt homines isti Elephantis, qui decem annis uterum gestant, & tandem pariunt, sæpe etiam ante partum emoriuntur. Ergo quidquid potest manus

tua,

tua, inſtanter operare, operarè, quia tempus non erit ultra, & fores miſericordiæ, quæ nuncpatent, claudentur æternitate, regnabitque juſtitia, Age quod agis, non ceſſet tua manus, non ceſſet pes tuus.

4. Orate ne fiat fuga veſtra hyeme.

IN hyeme fugiunt, qui mundum deſerunt, ſed Religiones indiſciplinatas petunt, in quibus etiam aliqua fuit æſtas fervoris & obſervantiæ, Autumnus fructuoſæ ac maturæ perfectionis, & vigor floridus ac Ver Sanctitatis & novitatis, poſtmodum tamen inordinatio & deſolatio ſuccedit. Ora pro tuo corde, ne in hyemem tranſeat, ne tu in nivem & glaciem concreſcas, ne tuâ causâ, Religionis uæ diſciplina in pluribus remittatur.

6. Orate ne fuga veſtra.

IN his verbis Difficultas in ſæculo ſanandi animam notatur. Quid enim ſunt homines ſæculares niſi ij qui fugiunt mundum, ſæcularibus curis impliciti, & negotiis mundi? Quid ſæculum iſtud fugiendum? Simile eſt

hyemi: putas inveniet filius hominis, cum venerit, fidem in terra? Refrigeſcet Caritas multorum. unde Chriſtus dicit; Ignem ſe veniſſe mittere in terram, cur? nempe ut accendatur, friget enim. ô friget! quia hyems eſt; terra ipſa frigida eſt, magis autem ab aqua infrigidatur; hinc hyems naſcitur, & homo ipſe tanto propius ad hyemem tendit, quantò magis ſæcularibus curis circumdatur. Quapropter certè Sol iſte juſtitiæ, receſſurus à terra, in cælum veniens, ne citò infrigeſceret, promiſit & præſtitit Spiritum Sanctum, eumq; in igne miſit, ut impleretur deſiderium Prophetarum clamantium; Utinam diſrumperes cælos & deſcenderes, aquæ arderent igne! Gaude igitur, ô homo! qui ab hac hyeme ſæculi, diabolicarum tentationum grandine, gelu & pruina peccatorum lethalium, Dei munere liber, in æſtate & vere Religionis, vivis & fugis. Ora autem, ne ſaltem mente redeas in Ægyptum; atque labora, ut plurimos in illa hyeme algentes calefacias.

7. *Vbicunque fuerit Corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.*

FElices aquilæ quæ ad illud corpus congregabuntur! Quod hoc Corpus? nisi IESUS, quid aquilæ? nisi Servi Christi. Corpus Christi est, quia verbum Caro factum est. Aquilæ Sancti sunt, qui sub ista nube latentem Deum, non solum cognoverunt sed etiam amaverunt; Perspicaces sanè oculos istos fuisse oportebat, qui viderent & amarent; multi enim vident sed pauci amant, hi cum noctuis computabuntur, quia inter aquilas esse non possunt. Multi qui potiùs Christo dicunt Domine, Domine, quàm faciunt, quod Christus dicit; propterea respondebit illis, Nescio vos. O si inter illas computemur Aquilas, quæ assumunt pennas, mutant fortitudinem, & sicut aquilæ volant & non deficiunt, immutant enim aquilæ juventutem suam, aspicientes in contemplatione ferventi, & ardenti desiderio, quæ lætificat juventutem earum. O si inter illas aquilas

ſim, quæ corde puro & perfecto in Deum tendunt, & rectos figunt oculos intentionis ſuæ credendo, amando, imitando, contemplando!

8. Statim autem post tribulationem dierum illorum.

EN ſigna Adventûs Dei & quaſi præludia, hinc diſce, quod illo tempore; quo Deus abs te exiget totius vitæ rationem, obſcurabitur tibi & aliis gratiæ illuminantis Luna, Lumen enim dabit ut malos affligat; tẽpus pœnitendi & bene agendi non erit ultra, tunc plangent omnes tribus terræ, non cæli; terrenæ enim cogitationes turbabuntur, & in vanum abibunt. Tunc patebit ſignum Filii hominis in cælo ſignum, inquam, Redemptionis, quo toties tu abuſus, vel non fructuosè digneq; ſatis uſus. O qui tibi tunc æſtus! Qualis tunc eſſe voles, talis nunc eſto, & ut ſis, curare proponito.

9. Et videbunt Filium hominis venientem in nubibus.

VIdebunt juſti & plaudent, videbunt

bunt impii & plangent. O quanta disparitas! Elige chorum in quo esse & cantare velis tunc, quoniam hæc omnia fient; Hodie tempus est eligendi, æternitas ab hac Electione dependet.

10. Et mittet Angelos suos cum tuba & congregabunt Electos.

HÆc est sors, quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob; gloria est omnibus Sanctis ejus, congregari per Angelos ex omnibus angulis terræ, & speluncis & cavernis. O! illi angustiati illi afflicti, illi purgamenta mundi, illi qui habiti sunt aliquando in derisum, congregabuntur ab Angelis Christi inter alios. Vtinam sic moriatur anima mea morte justorum, sed priùs vivat vitam justorum! Sic enim sine dubio fient novissima mea horum similia. Quod donet Dominus Jesus, impetret cum omnibus Sanctis Maria.

DOMINICA
Dedicationis Ecclesiæ.

1. Hodie huic domui Salus facta est. Luc. 19.

QVotiescunque communicas Sanctissimo Sacramento, toties totum hunc Actum qui de Zachæo & Christo Domino hodie legitur in Evangelio, repræsentari cogita, ita ut tu quidem Zachæi, Christus verò suam personam gerat. Itaq; audi, quid Christus Zachæo, id est, tibi loquatur. Hodie salus huic Domui facta est. Grandis sane & summi momenti attestatio; quam si cui audire contingat, nihil ampliùs quod desideret in hac vita habet, tantùm ut bonum istiusmodi omni diligentiâ conservare curet. Etenim quæ dulcior Consolatio esse potest, quam hæc? si quis sibi & de se dici à Christo audiat in corde & conscientia. Hodie huic domui salus facta est. O quàm festinè descendere deberes Zachæe ex arbore! quam avidè quærere deberes, ut videas Jesum Christum? quàm gaudenter illum domo excipere? quàm liberaliter te cum illo gerere? Fac ista, &

sine

ſine dubio audies, quod audivit Zachæus; Hodie Salus &c. etenim cum Sanctiſſimum Sacramentum ſalutem ipſam contineat, ſi domus tua non erit indigna ſalute, certè hoc ipſo, quod Sacramentum tantum recipis, ipſam ſalutem recipis.

2. *Zachæus, & ipſe dives, quærebat videre* IESVM.

Ara iſtiuſmodi curioſitas in Divitibus, ut ſcilicet quærant videre Iesum. Quid enim divitibus & Iesu? divitibus, inquam, divitias amantibus. Hujus rei exemplum aliud ab ipſo Zachæo, non invenies in Evangelio. Invenies aliquem divitem qui in Chriſtum caſu inciderit, non quæſitum, ab ipſoque ut ſe ſequeretur juſſum at; poſſeſſionum multarum amore victum, abiiſſe triſtem. Mathæus equidem dives fuit, ſed Chriſtum non quæſivit, juſſus tamen & vocatus ſecutus eſt. Reges item ſeu Magni ab Oriente venientes, quæſierant quidem Chriſtum, ſed Stella ducente & docente. At qui ſponte, & ſtudi-

ſtudiosè quæſierit Chriſtum videre, ſolus Zachæus legitur. Verum eſt, Herodem quoque à multo tempore optaſſe Jesum videre; ſed non legitur quæſiviſſe, quamvis dicitur optaſſe; ideò etiam quamvis Chriſtum vidit, tamen ab illo nullum verbum audivit. Quid eſt ergo cauſæ, quod tam pauci divites quærant Iesum videre? forte non nulli eorum ſunt qui cupiant, ſed qui quærant non ſunt multi, ut dixi. Cauſa prima eſt; quia non amant Iesum; amore enim divitiarum pleni cum ſint, Chriſtum amare non poſſunt. Patet id in illo adoleſcente, qui abivit à Chriſto triſtis. 2. Quia ſe egere Chriſto non putant; quo autem quis non eget, illud omnino non quærit. 3. Quia nihil omninò de Chriſto cogitant ſublime & concipiunt: Nam cum nihil magnificum putent, niſi quòd terrenum eſt, in Chriſto autem nihil terrenum ſit, ſequitur ut de Chriſto grande nihil opinentur, quia intendunt & occupantur divitiis ſuis quærendis & au-

& augendis, & ita à Christo quærendo impediuntur, ita, ut etsi velint non possint quærere Iesum, divitiis quærendis occupati; Iesus enim in cælo, opes in terra; ergo illi moveri deberent duobus motibus contrariis simul, quod non potest fieri. 4. Quia gravati sunt & onusti; Iesus autem in cursu celer est, non facile quis illum invenire & assequi onustus potest. 5. Non norunt, immò & dedignantur ea loca audire, in quibus Iesus invenitur. Locus Christi est Stabulum, Præsepe, Crux, Paupertas, Contemptus, Vitæ asperitas, Persecutio, Tribulatio; Beati enim pauperes Spiritu &c. & quis Divitum hæc non horreat? 6. Divites & omnes opum amatores staturâ pusilli sunt: hoc patet; quia solam terram attingere possunt, cælestia mẽte agitare nullo modò prævalent; quod quidem valerent si altiores essent. Cum ergo sint pusilli, altiora quærere nolunt, sed dicunt: Quæ in terra sunt, vix invenimus cum labore, quæ autem supra

pra cælos sunt, quis investigabit? 7. Divites & pacem habentes in substantiis suis, habent aspectum vitiatum, & uno tantùm terrenorum colore imbutum: ita ut nihil possint videre, nisi quod terrenam speciem habeat; Cum verò IESUS totus sit cælestis homo, ad illum aspirare illi non possunt vidēdum: eo modo quo quis natus in tenebroso carcere & ita educatus, ut lucem nunquam videret, nunquam de luce meridiana cogitaret, neq; solem quæreret, Ex his similibusque causis patet, quia divites ad quærendum IESUM rarissimi se conferunt.

3. Princeps Publicanorum, & ipse dives, quærebat videre IESVM.

ECce publicani & peccatores, præcedunt nos ad Regnum Dei, & quærunt JESUM videre, noctuæ solem, Filii præsentis sæculi, Patrem manentem in cælis, & Patrem futuri sæculi requirunt. Jam autem Filii regni, Filii lucis, de IESU quærendo, vel nihil, vel parùm laborant, ut omni-

mnino erubeſcere debeant Pietatem profeſſi, quod palmam in fervore ad virtutes, ad carnis & ſenſuum morti-ficationem, ad frequentiam oratio-nis concedant hominibus, quos ter-renarum fluctus occupationum, tan-tùm non demergit. Quis enim non e-rubeſcat, videns aut ſciens, Magna-tes ſub ſericis ſuis horrere cilicio, cum ipſi ſub veſte horrida molle-ſcant, lino vel bombyce ac ſerico.

4. Non poterat præ turba.

HÆc eſt infelicitas inter alias di-vitum maxima, atque cauſa, cur Iesum nec quærere velint, nec ſi ve-lint, poſſint. Turba ſcilicet, quâ im-pediuntur; nec una tantum ſed tur-bis turbarum. An non turba ingens, Curæ quotidianæ, quibus abundant Divites, de conſervandis, augendis, tuendis, meliorandis, bonis, operi-bus, poſſeſſionibus? An non turba, ſolicitudo creſcendi in fama, reputa-tione, honoribus? An non turba, Ma-giſtratus, quos ordinarie & gerunt & ambiunt Divites? An non turba,

Ami-

Amici & eorum voces, necessitates, preces promotionum, exactiones, quibus, nec si velis possis resistere, ne dum de Deo, ipsis repugantibus cogitare? An non turba, Reipublicæ Curæ, pericula, consilia, negotia, divitum capitibus impendentia? An non turba? Respectus humani, timor judicii & linguarum, universa illa idolorum legio. *Quid videtur? Quid dicent?* An non turba Adulationes omnium in omnibus etiam in malis? An non turba, Peccata tam sua quàm aliena, quæ tamen ab aliis sub divitum protectione, vel eorum jussu, consilio, conniventia fiunt. Quanquam, quid opus est enumerare, quæ sunt turbæ apud Magnates? divitiæ & opulentia, magnitudo eorum, constat turbis, ita ut quantò plùs turbarum tantò plus divitiarum & magnitudinis cẽseantur habere. Turba pagorum, agrorum, Domorum, turba saccorum, nummis plenorum, turba thesaurorum, turba famulorum, turba palatiorum, amicorum mensarum, ferculorum,

rum, poculorum, delectationum, mu-
sicorum, adulatorum, curruum, equo-
rum, canum, hæ turbæ premunt divi-
tem. Quid ergo novum si non possunt
IESUM præ turba divites videre? imò
præ tantis turbarum turbis, mirum
potius esset, si possent. O quanta com-
miseratione digni sunt divites miseri
tantis turbis! quàm fidis opus habe-
rent Mareschalcis, qui has turbas ar-
cerent! sed infelices, cum omnibus
turbis, eorum palatia pateant, etiam
insidiis, venenis, detractionibus, ho-
stibus, mortibus, Soli ad illos Veri-
tati, Virtuti, Pietati, Deo, clausa
est janua. Exeat Aulâ qui volet esse
pius.

5. *Ascendit arborem Sycomorum.*

EN remedium Divitibus, si quan-
do IESUM videre, turbam supera-
re, pusillitatem supplere velint, nul-
lum est aliud, quàm arborem id est
lignum Crucis amplecti & ascende-
re. Hæc enim est lignum stultitiæ, de
qua Apostoli; Nos, ait, prædicamus
Christum, crucifixum Judæis scanda-
lum,

lum, gentibus stultitiam vel quod idem est, Arborem stultitiæ & contemptûs respectuum, irrisionum, oblocutionum humanarum ascendere, & ex ea turbam omnem superare, Iesumq; speculari. Nihil omnino hoc remedio efficaciùs, non solùm divitibus sed omnibus ad virtutem tendentibus. Licet respectus humanos vincere, ex parte, & valde est difficile, & valde facilè fit divitibus. Difficile, quia valde attactum famæ sentiunt; facilè, quia vix quisquam iis in faciem dicere quid audet; & si semel superent linguas, ferè postea silẽtium indicunt, & admirationi sunt potiùs quam vituperio.

6. Zachæe festinans descende.

DIvitum (quanquam omnium hominum) est mos ut in ascendendo valde festinent, in descendendo valde testudinei sint, licèt re ipsâ spectatâ, tardissimè soleant (contra voluntatem suam) ascendere, facillimè autem, levi impulsu decidere magis, quàm descendere. Christus ergo

Za-

Zachæum monet ut festinet descendere sponte, ne cogatur decidere dejectus. Quod contigit Lucifero, qui velut fulgur decidit. Optimum enim consilium est, hoc opibus facere, quod illæ nobis facturæ sunt aliquando. Quid faciunt nobis opes, & totus mundus ejusque bona in morte? deserent nos; hoc ergo faciamus iis ante mortem, saltem affectu; & faciamus festinè, quia faciliùs est omnino omnia contemnere vel modicum ad aliquid affectum retinere: quâ in re, melior est experientia quam discursus.

7. Hodie oportet me in domo tua manere.

ADverte Causas propter quas oporteat Iesum in domo nostra manere. Dignum enim omnino est considerare, quod dicit Dominus Iesus Zachæo, incumbere sibi necessitatem manendi in domo ejus. Si enim diceret, Expedire Zachæo, ùt se domo suâ excipiat, facilè esset causas investigare; at cum dicit id sibi oportere,

& expedire, dignum eſt ut rationes inquiramus & perpendamus. Primum ergo Sciendum Deum bonorum noſtrorum non egere omnino. 2. Sciendum Nos ſine Deo ac Chriſto nihil poſſe facere; quæ duo, mirabiliora reddunt Chriſti verba illa ad Zachæum: Oportet me hodie. Sed tamen hæc ipſa duo oſtendunt, cur Chriſtum oporteat domi noſtræ & Zachæi manere. Non enim illum oportet manere quia eget, ſed quia nos illo inhabitatore egemus; & quia ſine ipſo nihil ſumus, & nihil poſſumus. Eo planè modo, ſicut oportet lucem eſſe in aëre, Spiritum ſive aërem in animali, animam in corpore, medicum apud infirmum. Quanquam etiam lux, eget àere tanquam ſubjècto; itemq; animâ corpore tanquam comparte. Jeſus autem, domo noſtrâ nihil omnino eget; ſed ad declarandum bonitatem ſuam, & illud, quo tenetur benefaciendi nobis deſiderium, id quo nos egemus, ut ab ipſo obtineamus, ſe egere dicit, & noſtram neceſſitatem, ſuam facit. Sic dicit medicus, oportet me adire infirmum;

mum; Pater, oportet me visitare liberos; Dives, Oportet me eleëmosynam dare pauperi; Rex. Oportet me defendere subditos; ideò Christus Paulo; Saule quid me persequeris. 2. Causa est; quia revera non est negandum, Deum egere aliquando ut apud nos maneat. v. g. ut apud Zachæum hodiernum. Natura enim bonitatis est, ut sit communicabilis, & communicativa sui; Eget ergo Bonitas, ut habeat cui se communicet; sicut vox eget auditu, à quo audiatur sapor gustu à quo gustetur. Quid enim prodest dulcedini quod dulcis sit, si nulli sit dulcis, si nullus ex ea gustat? Thesaurus invisus, Scientia abscondita, quæ utilitas in utrisque? Jam ergo cum Dei natura sit bonitas, sequitur quod egeat his, quibus se communicare posset. Id potest illustrari exemplo mulieris, lacte turgentia ubera habentis, quæ nisi lac præbeat infantibus, aut saltem illud exprimat, incommoditatem valetudinis patitur; ita Christus, lacte bonitatis habens turgentia viscera, si illud non tribuit alicui, incommodè sibi habere videtur. Quò facit illa antiquorum fictio, qui fingebant Deum quendam uberibus constantem, à quibus omnes fiam subitantiam sugerent. Et Clemens Alexandrinus Christum vocat, Mamillam Patris æterni quæ quidem Mamilla, cum hodie plena la;

ctc.

cte esset, perambulabat Jericho, quærens credo infantes, & in plateis dans vocem suam, ac dicens, Si quis est parvulus veniat ad me; cumq; ibi in Sycomoro pusillum hominem vidisset, infantem rata, ait illi, Zachæe, festinans descende &c. tibi lac præbere cogor, turgeo. O dulcissima & fecundissima Mamilla Patris! quis det, ut etiam oculos tuos reflectas super nos, & des nobis de lacte bonitatis tuæ gustare! Curremus post te ô mamilla Sancta, si id feceris, memores uberum tuorum. Eadem ipsa Dei indigentia declarari potest exemplo mulieris parturientis: huic enim S. Chrysostomus Deum comparat, dicens; Deum præ desiderio volendi nobis bene facere, clamare instar parturientis, & partum bonitatis ac misericordiæ suæ in nos effundere volentis. Et sicut mulier si parturiat, & parere non possit, dolorem habet; sic Deus quodammodo ipse torquetur, quando ipse quidem nobis benefacere vult, at propter nostra impedimenta non potest; proinde valde irascitur & minatur miserias magnas, imò infligit illis, qui illum in misericordia facienda præpediunt. Et hoc est illud quod D. Augustinus dicit, Peccatorem currere à Deo placato ad Deum iratum. Et quod S. Chrysostomus ait: Infernum à Deo ideò paratum esse, quia homines nolunt ad cæ-

lum,

lum, id est quia à Deo nolunt accipere misericordiam, quâ salventur; & ita minatur infernum, ne mittat ad infernum; minatur miseriam, ut commendet & pretiosam faciat misericordiam. O quanta est ergo hominum cæcitas, & malitia, qui Deum crudelem esse cogunt, misericordem esse nolunt! ô quanta Dei Bonitas, quæ ut se nobis obtrudat, miseriam minatur, nisi bonitatem acceptemus! ô Bonitas Sancta, parva sit ista miseria, si non acceptemus te? nam hanc ipsam declarare possumus, immo ipse Spiritus S. declarat per similitudinem mercatoris divitis, merces suas exponentis, omnes ad emendum invitantis, & emptoribus, ut emant sine auro & argento, suadentis; imò etiam, ut de Sapientia dicitur, ancillas suas ad invitandum mittentis. Contingit etiam hac in re Deo id, quod illi homini, qui fecit cænam magnam; at nolentibus venire inuitatis, coäctus est, ex vicis & plateis compellere ad intrandum. Ad hoc ipsum facere posset simile aucupis, escas objicientis, & aviculas capere volentis. Deus enim nos capere in liberrimam servitutem cupit, &c. *Vide num: Sequenti.*

8. Hodie oportet me.

CVpiebat Zachæus & quærebat Iesum videre quis esset; Iesus autem ostendit se

apud

apud illum hac vice velle manere. Latet haud dubio causa aliqua. Existimo ego, Christum voluisse uti bonâ illâ, quam illi Zachæo inesse & innasci optabat, dispositione & vlountate, & ignem igni addere in salutem, Vis cognoscere quis sim, & ideò quæris me videre? ex aspectu non cognosces; volo manere tecum hodie, ut tanto plùs tuam hanc curiositatem faciliusque quam per otium me contemplando, cognoscas. Est hîc unum incredibiliter utile & necessarium, raro autem usitatum, & notum hominibus documentum, quantùm intersit, primas gratias à Deo oblatas acceptare; qua de re cum alibi à me sit dictum, hîc, hoc solum dico. Immiserat Deus cupiditatem videndi sui Zachæo, hæc erat prima gratia excitans: hoc desiderium si Zachæus abjecisset, non ille Christum vidisset, non domum habuisset, non restitutionem, non eleëmosynam fecisset, non deniq; Filius Abrahæ & salutem domui suæ factam audivisset. Ecce quantis bonis se privasset, si primam gratiam neglexisset. Non neglexit, imò quærebat videre Iesum, arborem ascendit, cooperatus est, consecutus est. Quis credidisset ex illo simplici desiderio videndi, casu, temereq; injecto & nato, tantas gratias pependisse! Et hoc est unum ex incredibilibus arcanis maximum. Sed non est hîc locus:

ctus: vide alibi. 2. Existimo Christum voluisse pudorem Zachæo demere in se invitando; & suam ad animas salvandas propensionem ostendere, docereq; homines animarum curam habentes; nullam ut occasionem prætermittant, lucrandi animas: potissimùm verò, adhibendam esse Religiosorum morum Suavitatem, conversationem modestè hilarem, non tetricam & superbe gravem, cujus hîc specimen exhibuit luculentissimum Christus Dominus, dum quasi dissimulatè quærendæ Zachæi Salutis consilio, invitat se ultro ad Zachæi domum, egere se domo ejus ostendit.

9. Hodie oportet me &c.

CONsidera quotuplex est hæc domus in qua oportebat Christum manere? Quadruplex est domus nostra. Vna est Cœlum, 2. est Materialis in qua habitamus. 3. Conscientia sive anima, 4. Templum. In Cœlo, certum est Deum manere; Nec de hoc etiam ambigi potest, quod cælum sit domus nostra. De materiali domo, quantùm egemus ut Deus in illa habitet, non est difficile cogitare, sed quam rarò in iis Deus habitet, quis potest sine dolore dicere. Contingit aliquibus domibus tam infelices esse, ut totis sæculis quibus stant, Deum incolam non habeant, non vitio Domorum, sed Dominorum. Quis scit in Civitate an aliquando

domus una sit quam Deus incolat, non dubito quod habeat angulos aliquos, sed quod totas domos, valde ambigo. Inducitur aliquando & ingreditur illuc, sed ferè eodem die ejicitur. Deumque, humiles casæ, crebriùs habent Deum incolam quàm superba ædificia, raro enim humilem scelera subintrant casam. Conscientiam esse domum nostram constat ex illo Prodigo qui dicitur ad se rediisse, Ergo exierat à se: Et anima à Christo comparatur domui, quàm Spiritus immundus, cum septem nequiores secum acceperit, repetit, & inhabitat. Quam rarò apud nos in hac domo Deus sit, quis dicet sine lacrymis? Templa esse domus Dei certum est; nostras etiam esse, aut debere esse non dubium. Hîc enim nascimur, hîc alimur hîc erudimur, hîc à sordibus lavamur, hîc & cubamus sub somnum mortis. Has domos frequentare debemus propter tractanda cum Deo negotia, non propter colloquia, propter consilia. Hæc templa ideò sibi ædificari jubet in iis locis, in quibus plures homines incolunt, ut quia non potest vitio hominum, in singulorum domibus manere (ut dixi supra) neque tamen velit omnes homines deserere, cum deliciæ ejus sint esse cum filiis hominum, ideò inter homines jubet sibi templa ædificari; ut maneat inter omnes, si non potest cum omni-

omnibus. Ex quo discere debemus. 1. Quàm frequentare debemus templa nostra. Sed nos hodie tam iniqui sumus, ut etiam hâc Domo Deum spoliatum essevelimus, & eum ex illa exturbemus, quid enim in templis non facimus? 2. Quantum ornandis templis incumbere debeamus. Si omnes domus nostræ, templa essent Dei, multos sumptus in illis exornandis facere deberemus, noluit Deus tam nobis esse molestus, paucas, vel unam elegit Domum ut saltem illi ornandæ pro dignitate, incumbamus. 3. Quàm cautè in domibus nostris agere & degere debeamus, cum inter illas, seu cum illis, vicinam Dei domum habeamus, quæ est veluti specula Dei ex qua ille contemplatur civium mores, & quæ fiunt, quæ dicuntur &c.

10. *Hodie salus huic domui facta est.*

CObsidera, propter unius Patris familias conversionem, toti domui Salutem factam esse; Hinc discant Patresfamilias, & omnes Prælati, ac Domini, eos multiplici obligatione teneri, ut boni sint, nec sint mali. Discant, eos non solum sibi solis malos esse, sed aliis pluribus, quos exemplo corrumpunt, & à quibus impediunt benedictionem Dei, inducunt maledictionem. Discant etiam famuli, qualem debeant delectum facere in Dominis conquirendis: ta-

les ſcilicet quærant, quorum vita, ſit illis diſciplina morum, cauſa ſalutis. Diſcant etiam omnes, quantum boni unus juſtus in domo, in urbe, in populo poſſit. Ecce enim quia Zachæus Filius Abrahæ factus eſt, toti domui ſalus ſtatim facta eſt. Sic poſteaquam Centurio credidit in Chriſtum, credidit etiam domus tota. Diſcant denique præcipuè Magnates, & quorum auctoritas apud alios aliqua eſt, quam grandi ſubjaceant periculo damnationis, non ſolum propter ſua, ſed etiam propter aliena peccata, Hoc enim eſt illud quod dicitur crebrò, Dominos parvis peccatis Deum offendere non poſſe.

II. Hodie oportet eſſe.

VIdimus quomodo oporteat Deum in Domibus manere noſtris, videamus quomodo nos in domo Dei oporteat manere. Domus Dei Templum eſt, Eccleſia Catholica eſt, homo totus eſt, cæleſtis patria eſt, Oportet nos in templis manere reverenter & frequenter. Reverentia templorum conſiſtit, ut in iis orationes faciamus, Verbum Dei, Voluntatem Dei audiamus, dicamuſque, decenter in iis converſemur, eaq; tractemus conſervemus Sacramenta frequentemus frequenter, ſi diebus ſingulis, ſi diebus feſtis, manè, & à prandiis ea orandi cauſâ adeamus. Oportet nos in Eccleſia

Ca-

Catholica manere, quia extra hanc Arcam diluvium eſt, extra hoc ovile lupi ſunt. Oportet autem manere fideliter, credendo omnia, quæ docet Eccleſia; obedienter, omnia faciendo quæ mandat, ſive ea negativa ſive affirmativa ſint. Oportet nos habitare in nobis ipſis caſtè; quia Corpora noſtra, templa ſunt Spiritûs Sancti, quia ſi Spiritu facta Carnis mortificaveritis, vivetis: Spiritualiter, carni neceſſaria tantùm dando, nam ſi animam negligimus, nec corpus ſalvare poterimus: quid autem prodeſt homini ſi mundum lucretur, animam verò perdat! Pacificè quantùm ad proximos, nulli ſcandalum præbendo, nulli iujuriam faciendo, omnes amando. Oportet nos habitare in cæleſti domo, jure, deſiderio, Spe, curâ. Jure curando, ut gratiam Dei, quæ eſt jus ad cælum conſervemus; Deſiderio, ut terrena faſtidiendo, ad Superna anhelemus: Spe, nec præſumendo, nec deſperando, à cælo excidamus, ſed putemus, nos cum gratia Dei & cooperatione noſtra, ſalutem æternam conſequi poſſe: Cura, ut ſemper merita coacervemus, ſatagamuſque, per bona opera certam facere vocationem & Salutem noſtram; Utiq; contendamus per anguſtam portam, & rapiná vim facere cælo conemur, ut deniq; cum metu & timore operemur Salu-

tem,

tem, curramusq; ad anteriora, priorum obliti; ad bravium Supernæ vocationis, renovantes jugiter Spiritum mentis nostræ, & super fundamentum fidei ædificantes, non ligna, fænum, stipulam, sed aurum, argentum, lapides pretiosos, semper parati ut prudentes Virgines; semper vigiles, ut fideles Servi; semper lucrantes & negotiantes talentis Domini, ut boni Servi: donec veniat Dominus, & deducat nos, in illam Patriam, domum non manu factam in cælis, & dicat; Euge Serve bone & fidelis, intra in gaudium. O Beati qui habitant in domo tua illa Domine!

FINIS.